



*H. 44*

**Der Bibliothek der  
Vereinigten Friedrichs-Universität  
Halle-Wittenberg  
geschenkt von**

Frau Marie Conrad, Wwe. des  
Bibliotheksrats Dr. Gustav Conrad.

1928

*Ala 3,5.  
In sum Led. Regii  
1729 Hf.  
178*





1100

1100







CHRISTOPHORI CELLARII  
BREVIARIUM  
**ANTIQUITATVM**  
ROMANARVM

ACCVRANTE  
HIERONYMO FREYERO  
PAED. REG. GLAVCH. INSP.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI  
CIS MDCC XV.

CHRISTOPHORI CELLARII

MUTATIVVM



1927 8/10595







## BENEVOLO LECTORI

S. D.

HIERONYMVS Freyer/

**Q**uinquennium nunc est, LECTOR BENEVOLE, quum CHRISTOPHORI CELLARII ANTIQVITATES ROMANAE luci publicæ exponerentur. Vtilissimum omnino institutum hoc erat et magnæ expectationis apud omnes, qui celeberrimi quondam et in his rebus versatissimi VIRI doctrinam et merita nouerant. Sed nescio, quo fato aut cuius tandem errore acciderit, vt schedæ mutilæ neque ad vsum publicum satis dispositæ prelo subiectæ sint. Rem ita sese habere, nullum potest intelligentibus dubium esse et postumum hoc opusculum cum reliquis accuratissimi VIRI scriptis conferentibus. Nam vt de iis nunc nihil dicam, quæ contra mentem ac manum

a 2

## PRAEFATIO.

auctoris perperam excusa sunt diligentiam-  
que legentium nimis saepe ac nimis etiam val-  
de turbant: desideratur, vna atque altera  
tractatio rerum maxime necessariorum, qua-  
rum noticia ne tirones quidem carere sine  
damno possunt, modo incipientes relicta  
nobis antiquiorum temporum monumenta  
euoluere. Talis est illa praecipue, quae de  
SACRIS ROMANORVM exponit et quam  
ne verbo quidem attingit libellus impres-  
sus: vt facile intelligas, aut intercidisse  
quasdam ex VIRI clarissimi schedis; aut  
vix primas lineas esse ductas opusculi, quod  
solum breuiarii nomen tueri debeat. Ne-  
que tamen interea fructu suo apud iuuen-  
tutem caruit opera primae harum commen-  
tationum editioni impensa: sed potius sa-  
liuam multis docentium aequae ac discen-  
tium ita mouit, vt crederent, a nullo ac-  
commodatius potuisse antiquitatum roma-  
narum compendium quam hoc ingenio  
scholis dari; si quidem id ipsi exornare et-  
iam per fata licuisset, quod tam scite ac fe-  
liciter designare coeperat. Sed et hic fe-  
renda fuerunt, quae mutare non potuimus.  
Interim vt iactura illa, quam hoc modo  
fecerunt traditi in nostram disciplinam iu-  
ue-



## PRAEFATIO.

---

uenes, si non ex toto, quod promittere temerarium foret; tamen ex parte quadam et pro virili restitueretur: libellum integrum cum cura pertractaui; quæ summe necessaria deesse videbantur, cum ex publicis doctoris huius prælectionibus, quibus olim auditor ipse interfueram, tum aliunde suppleui; adserta testimoniis vndique conquisitis comprobaui; ac tandem res omnes eo ordine atque ita digessi ac distribui, vt suo quæque loco et facile adeo possint inueniri. Atque sic nouo quasi habitu sistitur hic scholis nostris scriptum hoc vtilissimum: et ita quidem sistitur, vt, quod ante VIR CLARISSIMVS et nomini CELLARIANO addictissimus, IOANNES GEORGIUS WALCHIVS, in præfatione dissertationum polyhistoris nostri recte dubitauerat, breuiarii alicuius appellationem ac partes sustinere nunc tandem posse videatur. Qui autem insumendus labor fuit: hunc me debuisse non tantum scholasticæ

PRAEFATIO.

iuuentutis commodo ; sed beati etiam **VI-  
RI** ac de me, dum viueret, haud vulgari-  
ter meriti manibus atque existimationi ar-  
bitratus sum. Bene igitur interpretare,  
**MI LECTOR**, qualemcumque hanc operam  
meam: et, quod **DEVS** indulgentissimus diu  
velit, bene etiam vale. Halæ Magdebur-  
gicæ in Pædagogio Regio idibus Augusti  
anni christiani **CIO** **ROCC** **XV**.



CONr



CONSPECTVS GENERALIS  
BREVIARII ANTIQVITATVM  
ROMANARVM.

CAPVT I DE SACRIS ROMANORVM agit,  
eiusque

Sectio I de diis p. I

Sectio II de collegiis sacris, et quidem

1. de collegio pontificum p. 5

2. de auguribus p. 6

3. de decemuiris et quindecimuiris sacro-  
rum p. 7

4. de flaminibus p. 8

5. de septemuiris epulonum p. 9

6. de salis p. 10

7. de lupercis p. 10

8. de arualibus fratribus p. 11

9. de fetialibus p. 11

10. de rege sacrificulo p. 12

11. de virginibus vestalibus p. 12

Sectio II de diebus festis siue feriis, et quidem

1. de lectisternio p. 14

2. de nouemdiali sacro p. 14

3. de supplicationibus p. 15

4. de ludis placando numini factis p. 15

5. de faunalibus p. 16

6. de lupercalibus p. 16

7. de terminalibus p. 16

8. de cerealibus p. 17

9. de liberalibus p. 17

10. de quinquatribus p. 17

CONSPECTVS GENERALIS.

11. <i>de lauatione matris deum</i>	p. 18
12. <i>de parilibus</i>	p. 18
13. <i>de floralibus</i>	p. 18
14. <i>de bonæ deæ sacro</i>	p. 19
15. <i>de consualibus</i>	p. 19
16. <i>de vulcanalibus</i>	p. 19
17. <i>de saturnalibus</i>	p. 20
18. <i>de calendis</i>	p. 20
19. <i>de feriis latinis</i>	p. 21
20. <i>de vere sacro</i>	p. 21
21. <i>de ludis secularibus</i>	p. 22
Sectio IV de ritibus ac cærimoniis sacris, et quidem	
1. <i>de albis et nigris victimis</i>	p. 23
2. <i>de litatione</i>	p. 23
3. <i>de coronis in sacrificiis</i>	p. 23
4. <i>de vittatis sacrificantibus et victimis</i>	p. 23
5. <i>de ara cæspiticia</i>	p. 24
6. <i>de victima fugiente</i>	p. 24
7. <i>de ritu verrendi fana crinibus</i>	p. 24
8. <i>de inferiarum ritibus</i>	p. 24

CAPVT II DE MAGISTRATIBVS ROMANORVM, eiusque

Sectio I de magistratibus antiquis, et quidem

1. <i>de regibus</i>	p. 25
2. <i>de consulibus</i>	p. 27
3. <i>de decemuiris</i>	p. 28
4. <i>de tribunis militum consulari potestate</i>	p. 29
5. <i>de</i>	



CONSPECTVS GENERALIS.

5. de praetoribus	p. 29
6. de aedilibus	p. 31
7. de quaestoribus	p. 32
8. de censoribus	p. 33
9. de tribunis plebis	p. 34
10. de tribunis aeriis	p. 35
11. de triumviris capitalibus et monetali- bus	p. 36
12. de interrege	p. 36
13. de dictatore et magistro equitum	p. 37
Sectio II de magistratibus novis sub Caesari- bus, et quidem	
1. de praefecto urbis	p. 38
2. de praefecto praetorii	p. 39
3. de praefecto aerarii	p. 40
4. de praefecto aerarii militaris	p. 40
5. de quaestore principis siue Caesaris	p. 41
6. de curatoribus viarum et alvei tiberini	p. 41
7. de praefectis classis utriusque	p. 42
8. de legato Caesaris seu principis	p. 42
9. de procuratoribus Caesaris	p. 43
Sectio III de magistratibus aevi posterioris	
	p. 43.
<b>CAPVT III DE MILITIA ROMANA, eius-</b>	
<b>que</b>	
Sectio I de ducibus	p. 46
Sectio II de legionibus	p. 47
Sectio III de armis	p. 49
Sectio IV de signis militaribus	p. 51
a_5	Sectio

CONSPECTVS GENERALIS.

Sectio v de machinis poliorceticis	p. 51
Sectio vi de militia nauali	p. 54
Sectio vii de præmiis militiæ	p. 55
<b>CAPVT IV DE CIVITATE ROMANA, eiusque</b>	
Sectio i de iure ciuium romanorum	p. 58
Sectio ii de iure Quiritium et Latii	p. 61
Sectio iii de iure municipiorum et coloniarum	p. 61
Sectio iv de communicatione ciuitatis in prouinciis	p. 64.
<b>CAPVT V DE PROVINCIIS ROMANORVM, eiusque</b>	
Sectio i de appellatione prouinciarum	p. 65
Sectio ii de administratione prouinciarum	p. 66
Sectio iii de diuisione prouinciarum	p. 67
<b>CAPVT VI DE IUDICIIS ROMANORVM, eiusque</b>	
Sectio i de iudicibus	p. 71
Sectio ii de loco iudiciorum	p. 74
Sectio iii de accusatore et reo	p. 74
Sectio iv de legibus	p. 76
<b>CAPVT VII DE ORDINIBVS ROMANORVM, eiusque</b>	
Sectio i de ordine senatorio	p. 83
Sectio ii de ordine equestri	p. 88
Sectio iii de ordine plebeio	p. 90
<b>CAPVT</b>	



CONSPECTVS GENERALIS.

**CAPVT VIII DE COMITIIS ROMANORVM,**

eiusque

Sectio I de distributione populi comitia  
habentis p. 92

Sectio II de variis comitiorum generibus

p. 95

Sectio III de loco comitiorum p. 96

**CAPVT IX DE STATV HOMINVM DI-  
VERSO APVD ROMANOS, eiusque**

Sectio I de statu liberorum p. 97

Sectio II de statu seruorum p. 99

**CAPVT X DE STVDIIS ROMANORVM, e-  
iusque**

Sectio I de ratione et ordine studiorum  
apud ipsos Romanos p. 102

Sectio II de studiis prouincialium p. 105

**CAPVT XI DE LVDIS ROMANORVM, e-  
iusque**

Sectio I de ludorum diuisione generali p.  
107

Sectio II de ludis romanis feu circensibus  
p. 108

Sectio III de ludis scenicis p. 109

Sectio IV de ludis gladiatoriiis p. 110

Sectio V de venationibus p. 113

Sectio VI de naumachia p. 114

**CAPVT XII DE VESTITV ROMANORVM,  
eiusque**

Sectio I de vestibus virorum p. 114

Sectio II de vestibus mulierum p. 118

CONSPECTVS GENERALIS.

**CAPVT XIII DE FVNERIBVS ROMANO-  
RVM, eiusque**

Sectio I de exsequiis	p. 119
Sectio II de combustione	p. 120
Sectio III de sepultura	p. 120
Sectio IV de ritibus quibusdam post sepulturam	p. 121
Sectio V de consecratione principum	p. 122

**CAPVT XIV DE RE NUMMARIA ET IN-  
SCRIPTIONIBVS ROMANORVM, eius-  
que**

Sectio I de nummis, et quidem	
1. de variis nummorum generibus	p. 124
2. de cognitionis nummarie usu	p. 130
4. de rei nummarie scriptoribus	p. 131
Sectio II de inscriptionibus	p. 133.








ANTIQUITATVM  
ROMANARVM  
CAPVT I  
DE SACRIS ROMA-  
NORVM

eiusque  
SECTIO I  
DE  
DIIS.

§. I.

 Mnes gentilium dii, saltem pluri-  
mi fama meritorum in cælum  
fuerunt opinione hominum sub-  
lati. Cic. *in sc. l. l. c. 12 et 13.* Di-  
uidebantur autem a Romanis in  
*maiorum ac minorum gentium* deos:  
quam distinctionem ipse Cicero a patricio Ro-  
manorum ordine ad cælum applicat.

§. 2. MAIORVM GENTIVM dii, qui et ma-  
gni vocantur, distinguebantur in *consentes* et *se-*  
*lectos*:

A

*lectos*: vt August. *de c. d. l. IV c. 23* exposuit. *Conferentes* dicuntur fuisse, quos Iuppiter ad concilium adhibuerit: numeranturque XII; Iuppiter, Iuno, Minerva, Vesta, Ceres, Mars, Vulcanus, Neptunus, Diana, Apollo, Mercurius, Venus. *Selecti* erant VIII: Ianus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus, Liber, Tellus, Luna.

§. 3. MINORVM GENTIVM dii erant, quos dixere *indigetes*: fueruntque homines propter beneficiorum memoriam pro diis culti a posteris, vt Hercules, Deus fidius, Castor, Pollux, Aesculapius, Quirinus seu Romulus, Priapus, Vertumnus; et virtutum ac potentiarum nomina, fortunæ, salutis, honoris, pietatis, libertatis, concordix, mentis, pudicitix, fidei, victoriæ, iuuentutis, vtpote quibus templa et aras exstruxerunt.

§. 4. In minorum deorum censu erant etiam *dii rustici et plebei*: quorum præcipuus Pan siue Siluanus, aut, si distincti fuerunt, cognati tamen et eiusdem muneris; item Pales, dea pastorum; Flora, Pomona et, qui supra in indigetibus memoratus est, Priapus, porcorum custos; Robigus et Epona; quibus administri iungebantur Fauni, Satyri, Sileni. Quo pertinent etiam nymphæ varii generis; montium, siluarum, agrorum: quæ singulari nomine Dryades, Hamadryades, Naiades aliisque vocabulis appellantur. In plebeiis diis erant etiam

*dome-*



*domestici*: Lares, Penates, Forculus, Cardia, ceteri; item Cloacina et alia monstrosa nomina. *Nuptiarum*, præter maiores, Iunonem et Venerem, Hymenæus proprius erat. Fuit etiam Terminus, quem *rusticis diis* vel *regionum* adnumeres.

§. 5. Præterea aliæ classēs deorum erant minorum, quibus tamen maior aliquis vel plures ex iis præsidebant. Tales fuere *dii marini* et *aquatiles*: quorum præsides Neptunus, Oceanus, Tethys; quibus suberant tamquam ministri Tritones, aut Triton ac Nereus, ac Nereides nymphæ; dii fluminum ac fontium, ut Tiberinus pater erat; etiam nymphæ lacuum, ut Egeria.

§. 6 Huius quoque generis *dii inferi* sunt: quorum præses Pluto siue Orcus est, qui et Iouis stygii nomen et Ditis patris habet, uxoremque Proserpinam, Cereris filiam. Pertinent huc generatim omnes dii manes: quorum minister erat Charon, portitor; ministræ Furiae seu Eumenides siue Diræ, quæ nominantur Alecto, Megæra, Tisiphone. Huc Parca pertinet, Noctis filiæ, Clotho, Lachesis, Atropos, quia circa funera versantur; licet alii superis eas adnumerent: item inferorum iudices, Minos, Aeacus, Rhadamanthus.

§. 7. *Dii auerrunci* colebantur, ut malum auerterent, nec nocerent: quales fuere ipse Auerruncus, Fascinus (vnde *præfiscine dixerint*)

*rim*) Febris, Pallor, Pauor, Robigus et similes.

§. 8. Præter hos etiam fuere *dii peregrini*, ex barbaris gentibus Romam adducti: vt Iſis, Serapis ſiue Oſiris, Cybele ſiue magna mater, Mithra et alii.

§. 9. *Litterarum dii* atque artium erant Apollo, Minerva ſiue Pallas, et Muſæ ſeu Camenæ cum ſedibus ſuis, fluminibus, fontibus aliisque attributionibus.

§. 10. Atque ita quidem creditum a vulgo paganorum fuit: ſapientiores autem ethnici phyſicam ſub fabulis interpretationem quærebant. Nec iſi tantum contenti erant, quas in planetarum nominibus etiam nunc expoſitiones retinemus; aut etiam in aliis aſtris non errantibus, vt Herculis: ſed ſubtiliori etiam interpretationi intenti fuerunt, vt ad elementa quoque decurrerent; quamuis incerti ſemper et inſtabiles, vt ſolet in falſis rebus et erroribus. Eiuſmodi interpretationes pæne multas habet Macrobius: cui adiungi poteſt antiquiſſimus Chriſtianorum ſcriptor Tertullianus *aduerſus Marcionem* l. I. c. 13.



SECTIO II  
DE COLLEGIIS  
SACRIS.

## I. DE COLLEGIO PONTIFICVM.

## §. I.

**P**ontifices erant, penes quos cura religionis ac cærimoniarum fuit. Rex Numa instituit, creatis pontificibus patricii generis quatuor; his additi quatuor plebei, ut octo essent: unde illi maiores, hi minores pontifices dicti sunt. *Liū. l. IV. c. 4. l. X. c. 6 et 9. l. XXII. c. 57. et Cic. de harusp. resp. c. 6.* Sulla auxit numerum ad quindecim vsque: quibus tandem decimum sextum Iulius Cæsar adiecit. *Liū. epit. LXXXIX. et Dio Cass. l. XLII. p. 209.*

§. 2. Et pontifices et augures dicebantur sacerdotes: erantque ita in collegiis sacris, ut et senatores simul possent esse; summisque honoribus consulatus, præturæ ac similibus præfecti.

§. 3. Pontificum collegio et omnibus aliis collegiis sacris summa auctoritate præerat pontifex maximus. *Liū. l. I. c. 20.* Et quamquam in priuatis tantum, non in magistratibus censebatur; quod Cicero *cat. l. c. 1.* docet: tanta tamen auctoritas tantæque momentum in pontificatu maximo erat, ut imperato-

ratores Augusti inde ab ipso Octauiano Augusto semper hoc munus vna cum titulo sibi referuauerint; nec postea alius apud Romanos vsque in Christianorum tempora pontifex maximus factus sit, qui non idem esset Imperator, Cæsar et Augustus.

## II. DE AVGVRIEVS.

§. 1. Augures dignitate non impares erant pontificibus, adeoque auguratus munus clarissimum. Differentiam inter pontificatum et auguratum Cicero *de harusp. resp. c. 9.* et *de nat. deorum l. 1. c. 44* in eo collocat, quod statæ sollempnesque cærimonie pontificatu continentur: rerum bene gerendarum auctoritates augurio. Ergo munus eorum erat auspicia et auguria, hoc est, initia omnium rerum sollempnium et publicarum procurare: præsertim in comitiis atque aliis rebus magnis agendis. De cælo igitur diligentissime seruabant augures: et, si quid sinistrum obseruassent, obnuntiabant; atque ita, quod in eorum potestate erat, comitia dirimebant. Vid. Cic. *phil. II. c. 33.* et *pro domo c. 15.*

§. 2. Auguratus sacerdotium persæpe a summis viris et consularibus ambiebatur: vnde dignitas eius clarescit. Sic Cicero, Appius Pulcher et Plinius iunior augures fuerunt omnes: iidemque con-

§. 3. Initia tantum erant, a Numma



ma Pompilio constituti. Liu. *l. IV. c. 4. et l. X. c. 6.*  
 Postea additi sunt quinque plebei. Liu. *l. X. c. 6*  
*et 9.* Sulla auxit, ut essent quindecim: quibus  
 vnum denuo superaddidit Iulius Cæsar. Liu.  
*epit. LXXXIX. et Dio Cass. l. XLI. p. 209.*

III. DE DECEMVIRIS ET QUINDECIMVIRIS  
 SACRORVM.

§. 1. Horum munus erat, libros sibyllinos ad-  
 ire et interpretari iussu senatus: deinde etiam  
 alia sacra procurare. Liu. *l. X. c. 8.* Sibyllinorum  
 librorum historiam ad Cic. *catil. III. c. 4* ex-  
 posuimus: vbi Cicero fata sibyllina vocat, quæ  
 consulebantur ab Romanis, quoties in magno  
 quodam periculo consilia explicari non pote-  
 rant. A Tarquinii Superbi ætate custodiebantur  
 huiusmodi libri in capitolio vsque ad bellum  
 marficum, quo vna cum incenso capitolio ipsi  
 quoque conflagrarunt. Qui vero postea libri  
 sibyllini erant, collecti fuerant hinc inde in  
 Italia et prouinciis ex variis fragmentis vatici-  
 niorum, quæ Sibyllarum nomen præferebant.  
*Tac. annal. l. VI. c. 12. et Sueton. in Aug. c. 31.*

§. 2. Ipse Tarquinius primum duumuiros,  
*ἀνδρας ἐπιφανῆς δύο*, constituit ad libros illos  
 custodiendos. Dion. Hal. *l. IV. p. 259.* Postea  
 decem viris id negotium commiserunt: et  
 tandem quindecim. Liu. *l. VII. c. 27. l. XXII. c. 9.*  
*l. XXXVI. c. 37. Tac. annal. l. VI. c. 42. et l. XI. c. 11.*  
 Quum adhuc decemuiri essent: erant quinque  
 patri-

patricii, quinque plebei; quod Liu. *l. vi. c. 42* obseruauit.

§. 3. Christiani scriptores sæpe etiam pro-uocant ad sibyllina oracula, vt christianam inde firmitatem aduersus paganos comprobent: vti videmus apud Lact. *l. i. c. 6. l. ii. c. 11 et 12. l. iv. c. 6.* Verum credibile haud est, illos versus esse veterum Sibyllarum: quum sæpe multo clarius de Deo et Christo loquantur, quam vel ipsi prophetæ veteris testamenti. Probabilius ergo est a pio homine, sed christiano, in recenti ecclesia compositos illos versiculos esse, aut, si veteres Sibyllarum versus, interpolatos; vt eò facilius paganis hominibus, qui maximi hæc oracula faciebant, persuaderent: id quod inter innumeras schedas, hinc inde in diuersis regionibus atque prouinciis dispersas, non facile obseruari et dignosci potuit.

#### IV. DE FLAMINIBVS.

§. 1. Flamines dicuntur quasi filamines a filis, quæ in ornatu ipsorum ex galero dependebant: vt Festus Pompeius interpretatur.

§. 2. Flamines igitur sacerdotes erant et maioris quidem dignitatis. Numa Pompilius tres creauit: flaminem dialem, qui omnium maximus erat, vt Ioui sacra faceret; et duos alios, Marti vnum, alterum Quirino. Vide Liu. *l. i. c. 20.* *Flamen dialis* Iouis adfiduus sacerdos erat: nec poterat ab vrbe abnoctare, vt Lilius

*l. v.*



*l. v. c. 52.* tradit; neque exercitum videre, quod Gellius addit *l. x. c. 15.*

§. 3. Postea supra tres illos ab Numa constitutos creati fuerunt et alii flamines, sed minores: qualis fuit *flamen carmentalis* apud Cic. *de cl. orat. c. 14*; et plures in prouinciis, vt passim in inscriptionibus apparet. Maxime autem diuorum seu Cæsarum in deorum numerum relatorum flamines constituebantur; qui a diuis suis, quos colebant, cognomen quoque adepti sunt: vt flamines augustales, flauiales, traianales; etiam alio casu flamen Claudii, flamen Adriani, passim in inscriptionibus.

#### V. DE SEPTEMVIRIS EPVLONVM.

§. 1. Non antiquissimum hoc collegium fuit: sed, postquam multiplicarentur sacrificia et carimonix, post Hannibalis bellum demum triumuii epulones facti adiunctique pontificibus sunt, vt epulas sacrificiorum curarent. Liu. *l. xxxiii. c. 42.* Cic. *de orat. l. iiii. c. 19.*

§. 2. Postea auctus est numerus et septemuii facti, haud dubie a Sulla: qui numerus etiam Ciceronis tempore et belli ciuilis erat. Lucan *l. i. v. 602.* Cæsar quidem, vt apud Dionem *l. xliiii. p. 240* est, dicitur tres septemuiros addidisse: verum non videtur id probatum aut in vsum introductum fuisse; quum in inscriptione antiqua Augusto Cæsari diui filio dicata apud Gruterum p. 227 legatur COLLEG. VIIIVIR. EPVLON.

## VI. DE SALIIS.

§. 1. Salios, Martis sacerdotes, Numa instituit duodecim: iisque tunicæ pictæ insigne dedit, et super tunicam æneum pectori tegumen cælestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre; ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollempnique saltatu iussit. Liu. *l. I. c. 20.* Rex Tullus Hostilius alios duodecim addidit: ut est apud Dion. Hal. *l. II. p. 129. 130. et l. III. p. 173.*

§. 2. A saltatu illo Salii dicti sunt. Conf. Hor. *l. I. od. 36. v. 12. l. IV. od. I. v. 12.* Virg. *Aen. l. VIII. v. 285.* Peractis autem sacris et saltatione opiparis epulis excipiebantur: unde proverbiū, *saliarum epulae.* Vid. Hor. *l. I. od. 37. v. 2.*

## VII. DE LUPERCIS.

§. 1. Luperci erant Panis sacerdotes ex antiqua Arcadum institutione: unde ritus per Euandrum in Italiam translatus. Nudi autem iuvenes lyceum Pana venerantes per luxum atque lasciviam currebant. Liu. *l. I. c. 5.*

§. 2. Ineptum igitur et spurcum sacrum fuit: nihilo minus magni factum ab Romanis, ut summi viri etiam hoc sacerdotium ambirent; quemadmodum M. Antonium consulem Cicero *phil. II. c. 34* refert inter lupercos lupercalibus ludis et ipsum lupercum cucurrisse.

§. 3. Locus in vrbe Roma turpissimis his sacris



facris dicatus *lupercal* dicebatur. Virg. *Aen.* l. VIII.  
v. 343.

## VIII. DE ARVALIBVS FRATRIBVS.

§. 1. Romuli institutum erat, sumtum ex numero filiorum nutricis Accæ Larentiæ. Hæc enim ex duodecim filiis maribus vnum morte amiserat: in cuius locum Romulus illi sese filium dedit, seque et ceteros eius filios fratres aruales appellauit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum arualium: cuius sacerdotii insigne est spicea corona et albæ infulæ. Gell. l. VI. c. 7. et Plin. l. XVIII. c. 2.

§. 2. Dicti autem fratres aruales sunt, quia sacra publica faciebant propterea, vt fruges arua ferrent. Varro *de l. l.* l. IV. c. 15. Ipsæ hostiæ vocabantur ambaruales: vt Festus docet. Ex inscriptionibus autem constat, nobilissimos viros in hoc collegio fuisse.

## IX. DE FETIALIBVS.

Fetiales a fide dictos Varro existimat: nam fidei publicæ inter populos præerant. Per hos enim fiebat, vt iustum conciperetur bellum et vt fœdere fides pacis constitueretur. Ex his mittebant etiam ante, quam conciperetur, qui res repeterent. Non enim putabant Romani veteres iustum bellum esse, quod per fetialem non prius hostibus indictum fuisset. Quibus autem verbis in repetendo aut indicendo vsus fuerit

fuerit fetialis, descripsit Gellius *l. xvi. c. 4.* et Liuius *l. i. c. 24 et 32.*

## X. DE REGE SACRIFICVLO.

Sacrificia quædam regum romanorum fuerant propria, quæ ab alio quam rege non poterant celebrari. Regibus igitur exactis, ne illa sacra cessarent, constitutus est quidam rex sacrorum: qui magna quidem dignitate erat, omni autem alio magistratu debebat abstinere. Pontifici autem hoc sacerdotium subiecere: ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius tum prima erat cura, officeret. Liu. *l. ii. c. 2.* Vocatur etiam rex sacrificus apud Liu. *l. xl. c. 42:* et rex sacrorum apud Cic. *pro domo c. 14.* et de *harusp. resp. c. 6.*

## XI. DE VIRGINIBVS VESTALIBVS.

§. I. Virgines vestales erant sacerdotes Vestæ, per quam tellurem intelligebant. Antiqua religio et ante Romam conditam Albanis visitata: reges autem romani in certiore formam atque locum eam redegerunt. Numa instituit quatuor huiusmodi virgines, et templum dedicauit; Tarquinius Priscus (secundum Plutarchum rex Seruius) duos addidit: qui numerus postea constanter sic seruatus fuit, vt non plures quam sex essent sacre huius ordinis virgines. Dion. Hal. *l. i. p. 62. l. ii. p. 114. 125. seq.*

§. 2.



§. 2. Eligebantur a pontifice maximo, quod singulari verbo *capere* dicebant. Non autem maior, quam decem annorum: nec minor, quam sex annorum, capiebatur. Gell. *l. i. c. 12.* Triginta annis deæ seruire debebant: decem, vt discentes; decem, vt colentes; decem, vt docentes. Tunc peractis triginta annis in sacerdotio abire a sacris licebat, etiam nubere. Dion. Hal. *d. l.*

§. 3. Lex illis perpetuæ virginitatis imposta erat sub defossionis pœna. Liu. *l. viii. c. 15. l. xxii. c. 57.* Plin. *l. iv. ep. ii. n. 7.* Munus autem earum, ignem in foro Vestæ perpetuum conseruare, ne exspiraret: vnde extinctionis culpa flagris luebatur. Liu. *l. xxviii. c. 11.*

§. 4. Simulacrum in templo nullum fuit præter palladium, Troia, vt credebatur, allatum, quod Herodianus *l. i. c. 14. n. 7.* dixit; vel cælo delapsum, vt Cicero *phil. xi. c. 10.*: quod tantæ sanctitatis apud ipsos fuit, vt nec vlli adspicere illud licuerit præter vestales. Herodian. *l. v. c. 6. n. 6.*

§. 5. Iura, priuilegia et honores vestalium erant eximii; nec earum aliqua in publicū prodibat, nisi licitore præeunte et populum submovente: quemadmodum ipsæ etiam ortu et sanguine erant nobilissimæ, clarissimorum parentum filie. Quæ senior inter illas erat, vocabatur maxima vestalis: vti est apud Suet. *Domit. c. 8.* et Plin. *l. iv. ep. ii. n. 6.*

§. 6. Durauit hic Vestæ cultus vsque ad christianos imperatores : et Theodosius demum omnem abrogauit, vt testis est Zosimus *l. v. c. 38. n. 4 et 6.*

SECTIO III  
DE DIEBUS FESTIS  
SIVE FERIIS.

**F**esti dies Romanis non vnus erant generis: sed quidam generales, et quouis tempore poterant institui variisque numinibus dedicari, prout res et status reipublicæ exigebat, vt lectisternium, nouemdiaie sacrum, supplicationes, ludi placando numini facti et similes; alii statim et ad certum tempus, mensem vel diem alligati certisque dedicati numinibus, ex quorum numero sunt Faunalia, Lupercalia, Terminalia, Cerealia, Liberalia, Quinquatrus, Lauatio matris deum, Parilia, Floralia, Bonæ deæ sacrum, Consualia, Vulcanalia, Saturnalia, Calendæ, Feriæ latinæ, Ver sacrum, Ludi sæculares.

I. DE LECTISTERONIO.

Tanta superstitio erat paganorum, vt crederent placari deos epulis et lectisterniis posse, quibus ipsi dii quasi ad conuiuium inuitarentur. Originem describit Liuius *l. v. c. 13:* cui adde *l. vii. c. 2. l. xxi. c. 62. l. xxii. c. 1. et Tac. annal. l. xv. c. 44. n. 2.*

II. DE NOUEMDIALI SACRO.

**A** numero dierum hæ feriæ nominatæ sunt; quæ



quæ tum potissimum edicebantur, quum lapidibus pluuisse nuntiatum esset. Vide Liu. *l. i. c. 31. l. XXI. c. 62. l. XXV. c. 7. et l. XXIX. c. 14.*

### III. DE SUPPLICATIONIBVS.

§. 1. Duplicis generis erant supplicationes: *aristes* pro auertendis malis prodigiis, quas nos *Buſtage* appellamus; et *læte*, quibus pro victoria aut republica conseruata gratiæ diis per vnum aut plures dies agebantur, et, si sollemniores essent, ad omnia puluinaria, hoc est, in omnibus templis, quorum pars erant puluinaria, deorum simulacra imponebantur, apud nos *Dantefeste*.

§. 2. De priori genere Liuius legatur *l. x. c. 23. l. XXV. c. 7. et l. XLI. c. 9.* Lætarum autem, quæ victoris nomine decernebantur, exempla frequentiora sunt. Vide eundem Liuium *l. v. c. 23. l. VIII. c. 33. Cic. caril. III. c. 6. Cœlium ad Ciceronem l. VIII. ep. 11. et Catonem ad eundem l. xv. ep. v. n. 3. 4:* et de maximo dierum numero pro sæculi luxurie Cæsarem *de b. g. l. II. c. 35. n. 4,* vbi per xv dies; et *l. IV. c. 38. n. 4,* vbi ad xx dies supplicatio decreta legitur.

### IV. DE LVDIS PLACANDO NVMINI FACTIS.

Colendum esse deum et instanti periculo placandum, cognouerunt ethnici: modum autem diuini cultus adeo ignorauerunt, vt ludis scenicis aliisque similibus ludicris placari deum et ad mitiorem de hominibus sententiam per-

perduci posse crediderint. Cenforin *c. 12.* Eius absurdæ rei exempla habemus apud Liu. *l. VII. c. 2.* et Cic. *catil. III. c. 8.* Quæ hoc loco tantum allegasse sufficiat: quum de ipsis ludis et variis eorundem generibus infra pluribus exposituri simus. Nunc a generalibus feriis ad speciales progrediendum est et agendum

## V. DE FAVNALIBVS.

§. 1. Inter rustica festa referenda hæc sunt, idibus Februarii quotannis celebranda. Ouidius *fast. l. II. v. 193:*

*Idibus agrestis fumant altaria Fauni*

*Hic, ubi discretas insula rumpit aquas;*

id est, in insula tiberina seu sacra, ubi sacellum et ara Fauni fuit.

§. 2. Alia Fauni sollempnitas erat mense decembri, de qua Horatius *l. III. od. 18. v. 20.*

*Quum tibi nona redeunt decembres,*

*Festus in pratis vacat otioso*

*Cum boue pagus.*

## VI. DE LUPERCALIBVS.

Lupercalia Pani sacra erant xv Cal. Martii. Ritus eorum supra iam descripsimus in lupercis, Panis sacerdotibus, *sect. II. n. VII. p. 10.* Lege præter Liuium ibi citatum etiam Plutarchum in *Romulo p. 31.* et Ouid. *fast. l. II. v. 267.*

## VII. DE TERMINALIBVS.

**Terminum** etiam pro deo colebant Romani,



in cuius tutela essent termini agrorum, ut Festus Pompeius ait. Hinc terminalia instituit Numma Pompilius, quæ VIII cal. Martii et magna quidem rusticorum sollempnitate celebrabantur. Dion. Halic. l. II. p. 133. et Ouid. *fast.* l. II. v. 655.

VIII. DE CEREALIBVS.

Cerealia Cereris sacra sunt, a solis feminis parata vidus Aprilis. De his Cicero *pro Balbo* c. 24 legatur: qui adsumta de Græcia esse docet, et per græcas semper curata sacerdotes, et græca omnia nominata. Lugentibus non licebat interesse his sacris. Liu. l. XXII. c. 5. 6.

IX. DE LIBERALIBVS.

Meminit horum Cicero l. XII. *ep.* 25. n. 1. Erat autem Libero, id est, Baccho sacer dies XVI cal. aprilis: quemadmodum ex Ouid. *fast.* l. III. v. 173 constat.

X. DE QVINQVATRIBVS.

§. I. Quinquatrus secundum Varronem duplices erant: maiores, XIV cal. aprilis; et minores idibus Iunii. De maioribus sic scribit Ouidius *fast.* l. III. v. 809:

*Vna dies media est, et fiunt sacra Minerua,*

*Nominaque a iunctis quinque diebus habent.*

Pluribus enim diebus agebantur: quod etiam Augustus testatur epistola ad Tiberium apud Sueton. c. 71, Mineruæ autem sacræ erant:

B

eam-

eamque ob causam scholis etiam ferias adferrebant; et magistris donaria, quæ *mineralia* vocabantur. Hor. *l. II. ep. 2. v. 197.* Ouid. *fast. l. III. v. 829.* et Tertull. *de idol. c. 20.*

§. 2. Hæc de maioribus: *minorum* vel *minufcularum*, quæ in idus iunias incidebant, explanationem habet Ouidius *fast. l. VI. v. 651. seq.* Adde Varronem *de l. l. l. v.* et Festum.

#### XI. DE LAVATIONE MATRIS DEVM.

Mater magna feu deorum credebatur Saturni coniux, Iouis mater, fuisse: cuius antiquum simulacrum Romani oraculo, vt ferunt, moniti Pefinunte, Phrygiæ vrbe, aduexerunt fummaque coluerunt religione. Id simulacrum quotannis in amniculo Almonæ lauandum erat *iv cal. Aprilis*, qui dies etiam in festis habebatur. Ouid. *fast. l. IV. v. 337.* Sil. Ital. *l. VIII. v. 364.* et Lucan. *l. I. v. 600.*

#### XII. DE PARILIBVS.

Parilia *xv cal. Maii*, qui natalis credebatur *urbis Romæ* esse, celebrabantur: a pariendo dicta, quod illo tempore omnia noua terra proferat atque pariat. Cicero festi huius diei sæpe meminit; *ad Att. l. II. ep. 8. l. IV. ep. 9. de diuin. l. II. c. 47:* et Plinius *l. XVIII. c. 26.* Quidam scribunt Palilia: quasi Pales, pastorum dea, nomen dederit. Ouid. *l. IV. v. 721.*

#### XIII. DE FLORALIBVS.

Floralium origo pudenda est et fabulæ velamine



mine deinde tecta, quam eleganter descripsit Lactantius *L. I. c. 20. n. 6. 7.* Deam autem finxerunt esse, quæ floribus præsit: unde ludi eius primum iv cal. Maii celebrati ac deinde in ipsum Maium translati sunt. Ouid. *fast. L. v. v. 195.*

## XIV. DE BONÆ DEAE SACRO.

Bonæ deæ sacrum calendis Maii fiebat, ob dedicatum eodem die in Auentino monte templum. Ouid. *fast. L. v. v. 195.* Antiquissima hæc regina fuit, Fauna etiam et Fatua appellata: quam matronæ et vestales virgines in pontificis, consulis vel prætoris domo ita colebant, ut nefas et summum piaculum esset vllum masculum hominem per eos dies intra ædes illas versari. Vid. Plutarch. *in Casare p. 711.* et Cicerone *p. 870.* Cic. *pro Mil. c. 5.* et *de harusp. resp. c. 17.*

## XV. DE CONSVALIBVS.

Consualia quasi Neptunalia sunt, Neptuno equestri sacra xii cal. septembres. Originem docet Liuius *l. I. c. 9.* Plura autem de iis habet Varro *de l. l. l. v.* et Dionysius Hal. *l. I. p. 26.* et *l. II. p. 100.* Quibus adde, quæ nos ad Eutropii *l. I. c. 1* notauimus.

## XVI. DE VULCANALIBVS.

Vulcani sacra erant, x cal. septembris in vetusto calendario romano notanda. Nocturni ignis in iis vsus erat et antelucanam hoc tempore

pore lucubrationem inchoabant : quamquam auspiciandi tantum causa plerique, utpote omitterentes eam postea ad finem fere autumni. Quo Plinius respicit *l. III. ep. 5. n. 8.*

### XVII. DE SATVRNALIBVS.

§. 1. Saturni festum erat, in memoriam sæculi aurei, quod Saturno in Italia regnante fuisse credebatur, quotannis mense decembri institutum. *Liū. l. XXI. c. 1.* Eo festo seruis domini præbebant epulum, iisque ministrabant ipsi: et licentius pro lubitu agere seruis erat permissum. *Plin. l. II. ep. 17. n. 24.* Munera etiam mittebantur inter ingenuos his diebus: et scholæ cessabant. *Plin. l. IV. ep. 9. n. 7. l. VIII. ep. 7. et Mart. l. v. epigr. ultimo.*

§. 2. Primum vno die celebrabantur Saturnalia, deinde duobus, tribus: tandem septem diebus, in quibus tamen quinque tantum festi erant. *Macrob. saturn. l. 1. c. 10.*

### XVIII. DE CALENDIS.

Omnes calendæ erant Iunoni sacratæ. *Ouid. fast. l. I. v. 55.* Martiæ autem calendæ spectatiæ Marti quoque sacrabantur, quia iis credebatur prælium inter Romanos et Sabinos intra urbem factum Sabinarum interuentu diremptum esse. Munera feminae mittebant; etiam seruis præbebant epulum, ut viri saturnalibus: quod ex *Solini c. 1* constat, etiam ex *Tibulli l. III. eleg. 1. v. 1. seq. et Mart. l. X. ep. 24. v. 3.*

XIX.



## XIX. DE FERIIS LATINIS.

§. 1. Antiquum sacrum erat, ab Albanis ad Romanos transmissum : quod quotannis in monte albano ab XLVII populis Latii Ioui latiarum siue latiali celebrabatur. Taurus autem Ioui communi populorum nomine immolabatur : et quisque populus singulare aliquid adferbat ad epulas, quæ in illis feriis et in monte illo instituebantur.

§. 2. Primum vnus dies erat ; deinde additus alter, tertius, itidemque quartus : quod ex Dionysii Halicarnassensis *l. iv. p. 250*, vbi ritum ipsum ; et *l. vi. p. 45*, vbi amplificationem descripsit.

§. 3. Non habebant statum diem, sed poterant alio atque alio mense celebrari. Liu. *l. XLIV. c. 19.* et *l. XLI. c. 16.* Adde his testimoniis eundem Liuium *l. XLII. c. 10* : et nota ex Dionis Cassii *l. xvi. p. 313*, non potuisse consules auspicato ex vrbe ad bellum et in prouinciam abire, nisi prius feriis latinis rite celebratis ; vtpote qui non minus, quam reliqui magistratus omnes interesse illis sacris debebant.

§. 4. An etiam latiarum Ioui ibidem sanguine humano litatum fuerit, quod videntur christiani scriptores paganis obiecisse, disputamus in notis ad Lact. *l. i. c. 21. n. 3.* et Minuc. *c. 30. n. 4.*

## XX. DE VERE SACRO.

§. 1. Festis diebus possumus adiacere ver sacrum ; quo quidem victimæ significabantur, quæ

quæ tamen a tempore nomen suum habebant. Magnis enim in periculis vouebant Romani, quæcumque proximo vere nata essent animalia, se immolatu- ros. Videatur præter Festum Pompeium *Liuii* l. xxii. c. 9. l. xxx. c. 44 et l. xxxiv. c. 44.

§. 2. An etiam homines intra hos menses nati ad ver sacrum pertinuerint, disquiri potest. *Liuius* videtur negare, pecus nominans ex pontificum decreto, non homines. *Pompeius* autem Festus in voce *Mamertini* exemplo et oraculi auctoritate adfirmat, non quidem immolatos fuisse, sed patria iussos decedere, quum adoleuissent. Verum semper aut sæpius id factum esse, probabile haud est.

## XXI. DE LVDIS SAECVLARIBVS.

§. 1. Festi dies erant, quouis reuoluto sæculo celebrati. Non autem certum, centesimo quouis anno actos esse hos ludos: quia de numero annorum sæculi disceptatur, et vulgo centum anni conficiunt sæculum, alii centum quinque, multi centum decem ad hos ludos requisierunt; de quo ex *Censorino* disputamus in *arat.* v programmatis nostris subiecta.

§. 2. Originem descripsit *Zosimus* l. ii *in-unte*: ritus et cærimonias c. 5, vbi in primis præparatio lustrationis est descripta. Addi potest *Horatii carmen seculare*: et *Suetonius* in *Augusto* c. 31, in *Claudio* c. 21, et in *Domitiano* c. 4.



## SECTIO IV

## DE RITIBVS AC CAERIMONIIS SACRIS.

## I. DE ALBIS ET NIGRIS VICTIMIS.

**A**Lbæ victimæ diis superis, nigræ inferis mactabantur. Sil. l. iv. v. 548. l. viii. v. 451. Zof. l. ii. c. 3. n. 5. 6. Præter victimas etiam alia ludæorum more adhibebantur: rus maxime, fal, vinum et similia. Hor. l. i. od. 36. v. 1. l. iv. od. 2. v. 51. Plin. l. x. ep. 97. n. 5. Prud. perist. hymn. iii. v. 122. Hinc prouerbium in præfatione Plinii: *Mola salsa litant, qui tura non habent.*

## II. DE LITATIONE.

Litare non idem est, quod sacrificare: sed feliciter et cum signo boni euentus victimam peragere. Vid. Liu. l. xxvii. c. 23. et l. xli. c. 15.

## III. DE CORONIS IN SACRIFICIIS.

Et sacrificantes et victimæ coronabantur. Plin. l. xvi. c. 4. Prud. in Romano v. 1021. Val. Max. l. v. c. 10. ext. v. 1. 2. Hinc intelligis Act. xiv. v. 13 τάφους ἢ σέμματα.

## IV. DE VITTATIS SACRIFICANTIBVS ET VICTIMIS.

Vitta ex lana vel lino erat, qua crines constringebantur sacrificantium et quæ ipsis quoque

que victimis imponebatur. Exempla occurrunt apud Virg. *Aen.* l. v. v. 366. Ouid. *metam.* l. xv. v. 131. et Prud. *in Laurentio* v. 525. Arboribus quoque sacris et statuis deorum vittæ dabantur. Prud. *aduersus Symm.* l. II. v. 1009. *in Romano* v. 302.

## V. DE ARA CAESPITICIA.

Ara gentilium plerumque caespiticia struebatur. Vid. Sil. Ital. l. IV. v. 703. l. XVI. v. 262. et Hor. l. I. od. 19. v. 13.

## VI. DE VICTIMA FUGIENTE.

Triste omen habebatur, quum victima ad aram adducta profugeret. Tac. *hist.* l. III. c. 56. n. 2. Sil. l. v. v. 63. et l. XVI. v. 264.

## VII. DE RITV VERRENDI FANA CRINIBVS.

In magnis periculis matronæ romanæ passis crinibus prostratæ humi supplicabant diis suis: et quum inter precandum mouerentur, crinibus quasi templa verrebant. Vnde formula illa frequentius occurrit. Lege Liu. l. III. c. 7. l. XXVI. c. 9. et Sil. l. VI. v. 560.

## VIII. DE INFERIARVM RITIBVS.

§. I. Inferiæ erant sacrificia in funere diis manibus oblata aut annua etiam memoria a cognatis repetita. Peragebantur non solum atris victimis: sed præcipue lacte, melle, oleo et similibus. In cæde vindicanda etiam noxii ad aram



aram cædebantur. Deducunt nomen ab inferis: Festus autem ab inferendo, quia formulæ consuetæ erant *ferre inferias et inferre.*

§. 2. Exempla vide apud Virg. Aen. l. III. v. 66. l. IX. v. 215. l. X. v. 519. et l. XI. v. 82. Omnium autem clarissime hic ritus cognoscitur ex columna seu cenotaphio Lucii Cæsaris, quod Pisis in Italia visitur, cui inscriptum est: *Inferia mittantur, bosque et ovis atri infulis cerulis infulati diis manibus eius mactentur: eaque hostiæ eo loco adoleantur, superque eas singula urna lactis, mellis, olei fundantur.*

## CAPVT II

DE

MAGISTRATIBVS  
ROMANORVM

eiusque

## SECTIO II

DE

MAGISTRATIBVS  
ANTIQVIS.

## I. DE REGIBVS.

## §. I.

**R**omanū imperium initio penes reges fuit: qui mirabili ordine ac successione, nec sine prouidentia ita se secuti sunt, vt

B 5

ex

ex minima republica fieret omnium maxima et potentissima. *Romulus* enim heroico ingenio fundamenta iecit vrbe ad *Tiberim* condita. *Numa* religionem in populum semibarbarum induxit constituendæ reipublicæ in primis necessariam: vt fides et integritas seruetur, quod vinculum est generis humani. Tertius rex, *Tullus Hostilius*, arma tractare iuuentutem docuit: vt contra iniurias respublica noua defenderetur. Quartus rex, *Ancus Martius*, rempublicam ampliauit: coloniam deduxit: vt mare liberum haberet, prospexit: et, vt tuta esset etiam altera *Tiberis* ripa, Ianiculum trans *Tiberim* muniuit et ponte vrbi iunxit. Quintus, *Tarquinius Priscus*, græcus genere, maiestati corroborandæ splendorem addidit et ornatum, sine quo contentui sunt imperantes. Sextus, *Seruius Tullius*, censum egit: id est, numerum ciuium iniit, vt sciret, quot arma tractare possent; et in mores singulorum, etiam opes inquisiuit, vt tributa pro opum conditione imponerentur. Septimus rex, *Tarquinius Superbus*, id est, tyrannus, suis et suorum iniuriis fecit, vt Romani exactis regibus in libertatem sese vindicarent et pro regia constituerent rempublicam liberam post ccliiii annum v. c. Vid. *Liu. l. i. c. 7. seq.* et *Eutrop. l. i. c. 1. seq.*

§. 2. De potestate regum quæritur, fueritne absoluta nec ne? *Pomponius* quidem *l. ii. §. 14. ff. de origine iuris* dicit, reges omnem potestatem habuisse. Sed nec hoc putamus absolute interpretandum esse: quia *Romulus* præsen-



sentiens Italos, vti alios Europæos, seruitutem ferre non posse, centum sibi senatores adlegit, quorum consilio rempublicam administraret, qui nonnumquam acriter cum eo decertarunt. Liu. *l. I. c. 8.* et Eutrop. *l. I. c. 1. n. 3.* Deinde, quod ex fragmento Ciceronis *apud Senecam ep. 108.* constat, prouocatio ad populum etiam a regibus fuit. Exemplum clarum habet Liuius *l. I. c. 26.*

## II. DE CONSVLIBVS.

§. 1. Exactis regibus propter iniurias et tyrannidem consulare imperium institutum est, sub quo Roma felicissima facta ad Cæsarum vsque tempora floruit. Pro vno rege duo consules creati sunt: vt, si vnus malus esse voluisset, alter eum, habens parem potestatem, coerceret. Et placuit, ne imperium longius, quam vnum annum haberent: ne per diuturnitatem imperii insolentiores fierent. Vid. Eutrop. *l. I. c. 8.*

§. 2. Ornamenta consulum erant prætexta toga seu purpura, sella curulis et XII lictores cum fascibus virgarum, quibus securis inserta erat: quamquam valerius lege statim post securis fascibus fuit adempta, ad terrorem mitigandum; extra urbem autem, vt in bellis et prouinciis, seruata. Plutarch. *in Publicola p. 102.*

§. 3. Consules erant vel ordinarii vel suffecti. *Ordinarii* dicebantur, qui cal. ian. consulatum inibant et a quibus in fastis annus denominabatur. Horum si quis esset mortuus ante finitum

## 28 C. II DE MAGISTRATIBVS ROMANORVM

tum consulatum vel alia de causa magistratu decederet: alius in locum *sufficiebatur*. Hoc raro olim contingebat: sub Cæsaribus autem frequentissime. Exempla vide apud Lamprid. *in Alex. Seuero c. 43.* Sueton. *in Galba c. 6. Cæs. c. 80. Aug. c. 26. et Cic. l. vii. ep. 30. n. 5.*

§. 4. Bello macedonico leges annariæ constitutæ sunt. Liu. l. xl. c. 43. Et consulatui quidem præstitutus est annus quadragesimus tertius. A qua lege pauci tamen fuerunt excepti, in quibus est Pompeius. Cic. *pro leg. man. c. 21.* et Eutrop. l. v. c. 6. n. 4.

§. 5. *Consulares* dicebantur, qui consulatu erant functi: quemadmodum *pretorii*, *ædiliti*, *quæstorii*; qui prætura, ædilitate, quæstura. Eutrop. l. v. c. 6. n. 6.

§. 6. Consulare imperium aliquoties interruptum fuit. Non dicemus iam de *dictatura*, quæ tantum semestris fuit, consulibus manentibus, sine autem ordinaria potestate: quod infra pluribus explicabitur. Sed decemuiratus fuit, qui primo consulatum interrupit: deinde tribunatus militum consulari potestate.

### III. DE DECEMVIRIS.

§. 1. Decemviri electi erant, vt leges Romanis ex atticis Solonis conscriberent et summa potestate, cessante interim consulatu, promulgarent: a quibus primum x tabulæ legum factæ; postea, quum nonnulla deesse viderentur, duæ adiectæ, vt xii tabulæ legum fierent, quæ



quæ sunt fons omnis iuris romani, vti ex fragmentis hodieque apparet.

§. 2. Ad biennium vix durauit hic decemuiratus. Quum enim decemuirum potestate sua sequenti anno abuterentur: abrogata illis fuit potestas, et consules reducti. Vide Liuium l. III. c. 32. seq. Eutrop. l. I. c. 16. et l. II. ff. de O. I. §. 24.

#### IV. DE TRIBVNIS MILITVM CONSVLARI POTESTATE

§. I. Quum exercitus tumultum faceret, nolletque ab otiosis magistratibus ex vrbe regi: consules rursus abrogati sunt; et in illorū locum misi tribuni militum, qui in vrbe alii atque alii incerto numero imperarent pro consulibus.

§. 2. Initio tres creati sunt. Liu. l. IV. c. 6 et 16. deinde quatuor c. 31. aliquando sex et octo l. V. c. 1 et 31. Sic per multos factum est annos. Tandem vero pœnituit Romanos militaris imperii et rursus facti consules. Eutrop. l. II. c. 7.

#### V. DE PRAETORIBVS.

§. I. Olim nullus magistratus exactis regibus Romæ erat, nisi consules. Quum vero hi bellis gerendis aliisque negotiis publicis detinerentur: additus fuit nouus magistratus, prætor vnus, qui ius in vrbe diceret. Crescente autem ciuitate et multis peregrinis aduentantibus, creatus est alius prætor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod inter peregrinos ius diceret.

ceret. Prior autem ille, qui ciuibus in vrbe ius reddebat, dictus est *prætor vrbanus*. De his Pomponius *l. II. ff. O. I. §. 27. 28.* et Liuius *l. VII. c. 1.* et *l. VIII. c. 15.*, vbi ex plebe etiam creatum prætorem scribit. De aucto autem prætorum numero, de eorumque officiis post punica bella accurate ibidem Pomponius §. 32: quorum summa est, tot prætores fuisse additos, quot prouinciæ in ditionem venerant. Vide et Liuium *epit. XIX.* et *l. XXXII. c. 27.* et *l. XXXIII. c. 26.*

§. 2. Crescentibus criminibus quæstiones publicæ sunt constitutæ, et iuridicæ causæ inter prætores distributæ: atque a fullano tempore vsque ad Ciceronem octo prætores in vrbe fuerunt; et Cicero inter octo primus, vt ipse in *Pisonem c. 1.* et *pro leg. man. c. 1.* testatur. Iulius Cæsar *XI I* vel, vt Dio Cassius *l. XLIII. p. 237* habet, *XIV* fecit prætores: Augustus *XVI*: Claudius adiecit duos, vt fierent *XVIII*: quem numerum imperator Nerua restituit, quum a Tito minutus fuisset. Vide de his omnibus Pompon. *l. c.* Qui vero in prouinciis ius dicebant, sæpius *proprætores* dicuntur, quam prætores: quamquam nec altera appellatio in illis insolens est.

§. 3. Prætores late dicti erant exercituum rectores: vnde cohors prætoriana, et ipsum prætorium appellantur. Sed de his non proprie hoc loco agimus. De edicto prætoris etiam dicemus infra, vbi de Romanorum legibus et iudiciis exponemus.



## VI. DE AEDILIBVS.

§. 1. Aediles non vnius generis erant: nomen vero omnes ab aedibus habent publicis, quas curabant. Primum eodem tempore, quo tribuni plebis sunt creati, duo aediles facti sunt: non tantum aedium causa, sed vt curam quoque rerum venalium gererent. Et hi erant minoris dignitatis atque ex plebe electi, quorum meminit Lilius *l. III. c. 55 et 57.*

§. 2. Maioris dignitatis erant, qui dicti sunt *aediles curules* a sella curuli, maximorum magistratum ornamento. Et hi etiam duo erant, ex patriciis electi eodem anno, quo praetores primum facti sunt: quamquam deinde ad alios etiam ordines hoc munus peruenit. Liu. *l. I. c. 42 et l. VII. c. 1.*

§. 3. Officium autem aedilium curulium praecipuum erat, ludos et spectacula curare atque edere: et quidem posteriori tempore, quum luxus increbuisse, suo ipsorum sumtu. Vnde quo splendidiore ludos edidissent, eo plus etiam gratiae consequebantur a populo: adeo, vt Mamercus repulsam consulatus attulerit praetermissio aedilitatis; quod Cicero testatur *de offic. l. II. c. 17.*

§. 4. Iulius Caesar duos aediles *cereales* addidit, qui rei frumentariae prospicerent: vt Dio Casius *l. XLIII. p. 239* refert. Sed et hi inferiores erant curulibus: et vbi aediles absolute nominantur et aedilitas, semper aediles curules intelliguntur.

## VII. DE QUÆSTORIBVS.

§. 1. Quæstura primus gradus ratione ætatis apud Romanos erat, qui etiam ab adolescentibus et ante tricesimum annum peti et geri poterat. Munus quæstorum erat pecuniam curare publicam, ærario inferre, et vbi opus erat, distribuere, eiusque rei rationes atque tabulas conficere. Initio id consules ipsi administrabant. Quum vero auctius ærarium esse cœpisset: vt essent, qui illi præessent, constituti sunt quæstores duo, qui *urbani* dicebantur. His additi postea duo alii, qui consulibus in bello adessent: non minus ac illi tam ex plebeiis quam patriciis paullo post eligendi. Crescente autem republica duplicatus numerus est, et octo creati sunt quæstores. Vide *l. n. ff. de O. l. §. 22.* et *Liuium l. iv. c. 43. 54. et epit. l. xv.*

§. 2. Sulla tandem constituit xx, ex quibus singulis præsidibus prouinciarum quæstor est forte additus: quod Tacitus refert *annal. l. xli. c. 22. n. 6.* Iulius autem Cæsar apud Dionem Cassium *l. xliii. p. 237* dicitur xl creasse, vt numerus vbique sufficeret. Atque talis quidem quæstor filii loco habebatur a præside propter fortis sanctitatem: quemadmodum præses colebatur a quæstore pro patre. Vide Ciceronis *diuin. in Verrem c. 19. l. ii. ep. 19. n. 1. et lib. xliii. ep. 10. n. 1.*

§. 3. Tandem ad præfectos translata est sub Cæsaribus ærarii cura, quæ antea quæstorum erat: vti infra docebimus sect. II, n. III.

VIII. De



## VIII. DE CENSORIBVS.

§. 1. Censura magistratus erat summus, et propter morum castigationem formidabilis. Initium habuit sub rege VI: sed tum ad hominum numerum et fortunas magis, quam ad mores referebatur. Flor. l. I. c. 6. n. 4. Eutrop. l. I. c. 6. n. 3. Consules, qui regibus suffecti sunt, aliquamdiu administrarunt. Crescente autem republica nouus magistratus constitutus est, bini censores; qui non modo numerum inirent populi et fortunarum, sed mores etiam singulorum obseruarent, in malosque animaduertent: isque magistratus quolibet quinquennio constituebatur, et potestas etiam quinquennalis erat. Postea visum fuit periculo non carere, si tam diuturna potestas penes paucos esset: ideoque æmilia lege ad annum vel sesquennium reducta est potestas censoria. Vide Liuium l. IV. c. 8 et 24. et l. IX. c. 33.

§. 2. Propter morum castigationem censores etiam dicti sunt magistri morum. Vide Ciceronem l. III. ep. 13. n. 8. Pœna autem censoria erat, senatorem mouere senatu, equiti adimere equum, pleberium ærarium facere priuilegiis ciuium spoliatum. Vide Ascon. Peditum in diuin. Cicer. Verr. c. 3.

§. 3. Sub Cæsaribus cessauit censura: aliquan-

C

quan-

quando reducta, semel sub Augusto, iterum sub Claudio; nec vero constanter seruata, quia mali principes metuebant, ne sui etiam mores notarentur. Vide Suet. *in Augusto c. 37. et Claudio c. 16.*

## IX. DE TRIBVNIS PLEBIS.

§. 1. Sexto decimo post eiectiones reges anno plebs romana, visa sibi a patriciis opprimi, secessit ex vrbe trans Anienem fluuium in montem sacrum: nec reuocari potuit, nisi impetrato sui ordinis magistratu; qui tribuni plebis dicebantur, vt causam plebis in senatu semper agerent, potestatemque haberent decretis senatus contradicendi, quod *intercedere* vocabant, id est, vt hodie dicimus, *protestari*.

§. 2. Initio duo creati sunt tribuni plebis: qui vero statim tres collegas adsumserunt, vt quinque essent. Tricesimo sexto post anno x tribuni plebis creati sunt: qui numerus mansit per tempora infecuta. Vide de his omnibus Liuium *l. II. c. 32. et l. III. c. 30. Pomponium l. II. ff. de O. I §. 20. et Eutrop. l. I. c. 12.*

§. 3. Quamuis igitur ordine et dignitate minor hic magistratus esset: maxima tamen, immo summa eius erat potestas propter potentiam multitudinis siue plebis, qua facile poterant



rant consulibus et toti senatui resistere. Quæ causa fuit, vt Cæsares quoque singuli quotannis sibi hanc potestatem adsumerent, et in publicis monumentis per annos eam numerarent: vt tribunicia potestatis anno VIII (TR. P. VIII). Noluerunt enim tribuni plebis vocari, vsi tantum appellatione *tribunicia potestatis*: vti ex nummis illorum et marmoribus videre licet. Hoc autem fecerunt, vt specioso titulo potestatem et imperium in ipsos consules et senatum sibi vindicarent. Vide Tac. *annal.* l. III. c. 56. n. 1: et de potestate reliquorum tribunorum nouem sub Cæsaribus, quæ admodum restricta erat et umbra tantum veteris, Plin. l. I. ep. 23 et notas nostras ad illam.

## X. DE TRIBVNIS AERARIIS.

§. 1. Horum meminit Cicero *catil.* IV. c. 7. Erant autem ordinis minoris præfecti, qui attributam pecuniam, id est, stipendium militum de ærario adnumerabant quæstori, vt inter milites diuideretur. Vid. Ascon. in *Cic. Verr.* III de *pratura urbana*.

§. 2. Intererant etiam populi loco iudiciis hi tribuni, quando illa ex tribus ordinibus mixta essent. Vid. Ascon. in *Cic. orat. pro M. Scæuro sub sinem*.

## XI. DE TRIVMVIRIS CAPITALIBVS ET MONETALIBVS.

Coniungimus hos, quia Pomponius *l. ii de O. I. §. 30* coniunxit: forsan quia pari dignitate erant, vtrique autem minore. *Capitales* triumviri custodiam carceris habebant et curam suppliciorum. *Monetales* rem monetariam siue cudendæ pecuniæ curabant.

## XII. DE INTERREGE.

§. 1. Ordinarios magistratus exposuimus hactenus. Extra ordinem erat interrex: et in summis necessitatibus ac periculis dictator et magister equitum. De quibus nunc pauca adferenda sunt.

§. 2. Nimirum post Romuli aliorumque regum mortem res ad interregnum rediit, vt quinos singulos dies nouus interrex imperaret. *Li. l. i. c. 17. 21. 32.*

§. 3. Idem in libera republica obseruatum fuit: vt, si consules reipublicæ causa abessent aut morbo impedirentur aut vitio creati essent, interrex comitiis habendis proderetur. Prodebatur autem patricius a patricio, qui æque circumscriptus erat quinque dierum spatium: nec moris fuit, vt primus interrex comitia haberet; sed is peractis diebus quinque alium prodebat, et sic deinceps, si comitia differren-



ferrentur. Vid. Cic. *pro domo* c. 14. l. VII. ep. 1. n. 1. Liu. l. V. c. 31. l. VII. c. 21. l. VIII. c. 17. l. IX. c. 7. et Afcon. *in orat. pro Milone*.

### XIII. DE DICTATORE ET MAGISTRO EQVITVM.

§. 1. In extremis periculis ad vnus imperium, sed certo tempore definitum, refugiebant Romani: electo viro probatæ virtutis, cui omnes parerent et qui dictator appellabatur. Atque hoc imperante consulare imperium quodam modo cessabat. Liu. l. II. c. 18. et Eutrop. l. I. c. II. n. 1.

§. 2. Dictatorem dicebant, hoc est, eligebant consules: quemadmodum dictator magistrum equitum, cui imperium equestris militiæ dabatur; quamquam potestate impari, quoniam parere iubebatur dictatori, exercitum maiorem siue pedestrem ducenti. Liu. l. IX. c. 38. l. IV. c. 57. l. XXII. c. 26 et 30.

§. 3. Post bellum punicum II, quum non in Italia, extra quam cum exercitu ire dictatori haud licebat; sed in longinquis regionibus bella gererentur: cessauit hic magistratus ad Sullæ vsque tempora, qui se ipse dictatorem et quidem perpetuum fecit. Vell. l. II. c. 28. n. 2. Sullæ exemplum postea secutus est Iulius Cæsar: quo interemto prorsus abolitum esse dictaturæ nomen Cicero docet *phil.* I. c. 1. 2 et 13.

§. 4. Ceterum obseruari hoc loco potest, non tantum propter bellorum pericula; sed nonnumquam aliis etiam de causis, vt sunt secessiones plebis, comitia, feriæ, creatos fuisse dictatores: vt hoc modo malum publicum auerteretur vel aliquid salutare populo decideretur. Exempla huius rei vide apud Livium *l. VIII. c. 18. 23 et 28.*

### SECTIO III

## DE MAGISTRATIBVS NOVIS SVB CAESARIBVS.

**S**Vetonius *de Augusto c. 37* sic memorat: *Quo plures partem administranda reipublica caperent, noua officia excogitauit.* Ex quibus precipua interpretaturi sumus: addituri etiam, quæ Suetonius prætermisit.

#### I. DE PRAEFECTO VRBIS.

§. 1. Suetonius dicto loco in nouis Augusti magistratibus præfecturam vrbis numerat: cuius amplissima potestas erat non tantum in vrbe, sed ad centesimum etiam lapidem ab vrbe. Munia eius late describuntur *oto titulo XII. ff.*

§. 2. Nomen quidem vetus est, quum in reipublica libera magistratibus vel belli vel facrorum causa absentibus præfectus vrbi fuerit constitutus: nunc autem nouus magistratus



tus fit; isque perpetuus, non sub conditione absentiae; noua potestate ac dignitate a Caesare ornatus. De discrimine veteris et noui praefecti lege Tacitum *l. vi. c. ii.*

## II. DE PRAEFECTO PRAETORII.

§. 1. Etiam hanc dignitatem Augustus Caesar instituit: vt praefectus praetorio milites praetorianos, qui corpori Caesaris tuendo Romae excubabant, regeret; et supremam simul curam captiuorum, qui per milites custodiendi erant, haberet. Act. xxviii. v. 16. Plin. *l. x. ep. 65 n. 2.*

§. 2. Duos Augustus constituit: quod deinceps ita mansit, vt alternis vicibus officium facerent. Nonnumquam vnus tantum fuit: sub Commodo tres. Lamprid. *in Commodo c. 6.* Constantinus quatuor fecit cum summa administrandi imperii potestate, quod in quatuor partes pro quatuor praefecturis distribuit. Ex codice i. r. id notum esse potest: clarius exposuit Zosimus *l. ii. c. 32. seq.*

§. 3. Minor eius potestas sub Augusto erat, et ad praetorium restricta: sub secutis Caesaribus in immensum creuit, et vniuersae militiae ac reipublicae cura penes praefectum erat praetorii. Princeps, quum crearetur, gladium ipsi dedit: quo ad illum tuendum vteretur, si bonus esset; si malus, contra illum. De quo Plinius *in paneg. c. 67.* et Dionis Cassii *excerpta in Traiano p. 778.*

## III. DE PRAEFECTO AERARII.

§. 1. Aerarii curam, quæ antea quæstorum fuerat, Nero ad præfectos transtulit. Tac. *ann. l. XIII. c. 28. n. 6.* et Gell. *l. XIII. c. 28.* Dictum fuit ærarium Saturni, quia in templo huius dei securitatis causa adseruabatur pecunia publica. Vide Plinium *l. v. ep. 15. n. 1.* et *l. x. ep. 20. n. 1:* qui huius officii etiam vt laboriosissimi et maximi *paneg. c. 91. n. 1* meminit.

§. 2. Ab hoc ærario, quod commune et reipublicæ erat, distinguebatur *fiscus* seu ærarium nouum: ab Augusto diuisis cum senatu et populo prouinciis institutum, vt aulæ inde sumtus ad ornatum principis ac dignitatem tuendam præberentur; atque a *fiscellis* dictum, quibus olim pecunia deponebatur. Vid. Tac. *ann. l. II. c. 47. n. 2. l. VI. c. 2. n. 1.* et Plin. *pan. c. 36. n. 3. et c. 42. n. 1.* Atque ex eo tempore nouum verbum ortum est *confiscare*, quod est in *fiscum* redigere. Vid. Suet. *Calig. c. 41.* et Flor. *l. III. c. 9. n. 3.*

## IV. DE PRAEFECTO AERARII MILITARIS.

§. 1. Ab ærario communi et *fisco* differabat ærarium militare: quod Augustus, non tam conscribi milites aut cogi volens, quam mercede conduci et præmiis allici, instituit; vt perpetuo ac sine difficultate sumtus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret. Suet. *in Aug. c. 49.* Nouas etiam leges propterea tulit; præcipue illam, de *vice simis*, puta hereditatum, qua



qua heredes non proximi vicesimam partem inferre huic arario iuebantur: quod sine vilius iniuria fieri poterat; quemadmodum cetera, quæ augendo illi excogitauit. Vide Dionem *l. vii. p. 565.* Plinium *l. vii. ep. 15. n. 1. et paneg. c. 37. n. 1. et c. 39. n. 1.*

V. DE QVÆSTORE PRINCIPIS SIVE CÆSARIS.

Quæstores Cæsaris qui vocabantur, non in prouinciis erant: sed in vrbe et palatio. Dicebantur etiam candidati principis: et munus eorum erat, libris principalibus in senatu legendis vacare. Vide Tac. *ann. l. xvi. c. 27. n. 2.* Suet. *in Aug. c. 65. et Nerua c. 15.* Plin. *l. vii. ep. 16. n. 2. et ff. legem vnicam de officio questoris.*

VI. DE CVRATORIBVS VIARVM ET ALVEI TIBERINI.

§. 1. Augusti Cæsaris et hoc institutum est: vt ex Suet. *c. 37* constat. De via æmilia vide Plinium *l. v. ep. 15. n. 1.* Sic appiæ etiam, flaminix aliarumque viarum curatores sæpe in antiquis inscriptionibus laudantur: quorum hoc munus erat, vt viæ lapidibus stratæ per Italiam conseruarentur.

§. 2. Curator aluei tiberini itidem ab Augusto institutus fuit: vt ripæ semper munitæ essent; nec fluius vel urbem vel agros et campos exundationibus, quod sæpe acciderat, vastaret. Inscriptiones, quæ Plinii epistolis præfiguntur, testantur hodieque, Plinium iunio-

rem aluei tiberini et riparum curatorem fuisse.

## VII. DE PRAEFECTIS CLASSIS VTRIVS-

QVE.

Augustus Cæsar ad tutelam superi maris et inferi classes duas, vnam Miseni et alteram Rauennæ collocavit: binis etiam præfectis constitutis, qui vtrique præessent. Tradit hoc Suetonius in *Aug. c. 49.*

## VIII. DE LEGATO CAESARIS SEV PRINCIPIS.

§. 1. In libera republica provinciæ romanæ administrabantur per proconsules et proprætores. Augustus Cæsar mutauit statum et provincias diuisit: pacatas senatui et populo reliquit; quibus opus erat præsidio militari et exercitu, sibi seruauit. Et illæ dictæ sunt provinciæ populi: hæ Cæsaris seu principis. In priores missi magistratus forma veteri: id est, proconsules aut proprætores, qui sæpe prætores absolute nominantur. In Cæsaris autem provincias qui summo cum imperio et exercitu mittebantur, neque proconsules neque prætores dicti sunt: sed legati Cæsaris seu principis. Strabo *l. xvii exeunte.*

§. 2. Tales autem legati principum distinguendi sunt a legatis legionum: qui in libera republica æque ac cæsarea erant, et de quibus dicemus plura in re militari. Legatus Cæsaris dicebatur etiam legatus *consularis*, quia ex consularibus viris plerumque legebatur: legatus autem legionis dictus quoque est legatus

*præ-*



*praetorius*, quia huic muneri plerumque praetorii viri praeficiebantur. Vide de his distinctionibus Suet. *Vespas. c. 4.* Tac. *annal. l. I I. c. 80. n. 3. l. IV. c. 73. n. 4. hist. l. I. c. 56. n. 1. Agric. c. 7. n. 5.* et Plin. *l. VI. ep. 31. n. 4.* et *l. VII. ep. 31. n. 2.*

## IX. DE PROCVRATORIBVS CAESARIS.

§. 1. In libera republica et sub Caesaribus in prouinciis populi quaestores dicebantur, quos in suis prouinciis Caesares maluerunt procuratores appellari. Atque hi curam reddituum habebant et fisci. Dio *l. LIII. p. 506.*

§. 2. In minoribus prouinciis, vbi nullus erat Caesaris legatus, procuratori etiam iurisdictiono commissa erat: vt clare videmus in Pilati exemplo, quem Tacitus romano more *ann. l. XV. c. 44. n. 4* procuratorem Caesaris appellat. In maioribus prouinciis, vbi legatus erat Caesaris, solos redditus et fiscum procurator curabat, Tac. *Agric. c. 15. n. 3.*

§. 3. Sub posterioribus Caesaribus dicebantur *rationales*, qui fisco et redditibus colligendis praefecti erant. Vide Eutr. *l. IX. c. 9. n. 7.* Lamprid. *in Alex. Seuero c. 45.* et Capitol. *in Maxim. c. 14.*

## SECTIO III

## DE MAGISTRATIBVS Aevi posterioris.

## §. I.

**M**Vtantur magistratus cum tempore: et alia cum nomina, tum officia sortiuntur. Tertio christianorum saeculo, qui

qui supremæ iurisdictioni in aula Cæsaris præerat, dictus est *magister scriniorum*; qui ferme erat, qui nostri temporis cancellarius: cuius honoris exemplum in Vlpiano habemus apud Eutrop. l. VI II c. 14. n. 3. Erant autem plura scrinia seu, vt nunc vocantur, cancellariæ; epistolarum, memoriæ, libellorum, dispositionum: de quibus videas, quæ Salmasius *ad Lampridii Alexandrum Seuerum* c. 31 et nos ex ipso *ad Sextum Rufum* c. 22 notauimus.

§. 2. Deinde erant *correctores Italiae prouinciarum*: id est, adiutores Cæsaris in prouinciis Italiae regundis. Hinc in *codice iustiniano*, in *notitia imperii* et *inscriptionibus antiquis* correctores Italiae, Etruriæ, Lucaniæ, Calabriae, Bruttiorum: rarius extra Italiam, vt Illyrici, Histriae et Africae memorantur. Quid quæris? Præsides erant, quos hodie gubernatores vocamus: vnde Tetricus ex principe talis corrector Lucaniæ factus est, apud Eutr. l. IX. c. 9. n. 6.

§ 3. Constantino M. imperante *praefecti praetorio* quatuor constituti sunt, quibus summa in prouinciis data est potestas. Primus erat Orientis: secundus Illyrici magni, quod omnem Græciam simul comprehendebat: tertius per Italiam et Africam: quartus Galliarum, cui etiam Portugallia et Hispania suberat. Et ad hosce praefectos datae plerumque leges sunt in codice. Quando ergo plures prouinciæ erant sub vno praefecto: in ceteris, quibus ipsi non praesidebant, *vicarios* habebant.

§. 4.



§. 4. Sub vicariis erant minores, tamen etiam prouinciarum *rectores*: quorum alii confulares, alii præfides, alii comites; quidam duces, quod militiae simul præerant, dicebantur. Cuius rei exempla plurima sunt *in notitia imperii utriusque*. Nimirum vicarius præfecti prætorio regebat certam diocesin, quæ est plurimum prouinciarum administratio: sub vicario autem erant singularum prouinciarum *rectores*; qui distinguebantur pro magnitudine prouinciarum aut arbitrio imperatoris in *confulares*, *correctores*, *comites*, *præfides*. Atque hæc in prouinciis.

§. 5. In aulam quoque noua officia, sub iisdem prope titulis, comitum maxime, introducta. Sic *l. i. cod.* leguntur tituli *de officio magistri officiorum: de officio comitis sacrarum largitionum, comitis rerum priuatarum, comitis sacri palatii, comitis sacri patrimonii*, cetera.

§. 6. Honores etiam appellationum nouo modo distribuebantur. Summus titulus erat *nobilissimatus*: qui tantum Cæsaribus, quatenus distincti ab imperatoribus Augustis erant (ferme ut hodie rex Germanorum ab imperatore) et consanguineis imperatorum tribuebatur; et his quidem ex singulari imperatoris indulgentia. *Zof. l. ii. c. 39. n. 4.* Ceteri, qui rem publicam regebant, dicti *clarissimi, illustres, spectabiles, egregii, perfectissimi*. Sed tamen et hæc nomina cum discrimine dignitatum et priuilegiorum adhibebantur. Vide *not. imp.*

CAPVT III  
DE  
MILITIA ROMANA  
eiusque

SECTIO I  
DE  
DVCIBVS.

§. I.

**A**Rmis partum fuit imperium romanum, armis etiam conseruatum: nec vero his solis; sed mores etiam, et leges, et æquitas administrationis, et litterarum studia in deuictis gentibus excitata multum ad conseruationem attulerunt.

§. 2. Originem habet romana militia a regibus, Tullo Hostilio et Tarquinio Prisco. Flor. *l. i. c. 3. n. 2. c. 5. n. 5.* Eutrop. *l. i. c. 3. n. 1. c. 5. n. 3.* Sub consulibus in maius excreuit, et ordinatio etiam facta est.

§. 3. Tum regebant exercitum consules: et, si pluribus locis pugnandum esset, prætoribus etiam summum imperium commissum fuit. Ex quo omnes summi duces *pratores* appellati aliquamdiu: appellationis autem reliquæ manserunt perpetuo in cohorte prætoria, naue prætoria et prætorianis Cæsarum militibus. In magnis periculis *dictator* exercitum regebat: cui sub-



subordinatus *magister equitum*, qui equitatu  
præfectus erat.

§. 4. Diuidebantur rectores in *summum ducem*  
et duces alios, qui *legati* dicebantur, pro nume-  
ro legionum adfunt: vnde etiam legati legio-  
num postea appellati sunt. Cic. *l. VII. ep. 3. n. 6. l.*  
*I ep. 7. n. 26.* Suet. *Vespas. c. 4.* Deinde erant *tri-*  
*buni militum*, ferme eius dignitatis, qua pollent,  
qui hodie nobis *Obristen* et Romanis inter soci-  
os *præfecti* vocabantur: sub his *centuriones*, et pri-  
mus ex illis dictus est *primipilus* siue qui primum  
pilum ducit, maiore et potestate et honore præ-  
ditus, quam ceteri centuriones. Vid. Liu. *l.*  
*XXXV. c. 5.* Cic. *ad Att. l. V. ep. 20. et Cæs. de b. g. l.*  
*II. c. 25. n. 1.* Minores qui erant in centuria, *du-*  
*ctores* tantum *ordinum* dicebantur: qualis in de-  
curia erat *decanus*. Veget. *l. II. c. 8.* Summus  
autem dux non statim *imperator* dicebatur, sed  
post victoriam salutatus ita ab exercitu. Cæs. *de*  
*b. ciu. l. III. c. 71. n. 3.* Finito bello et triumpho  
cessabat titulus, vt etiam aliis bellis nouus ac-  
quiri posset. Hinc legimus sæpe: ITERVM IM-  
PERATOR, SEXIES IMPERATOR, et VICIES de Au-  
gusto in *inscriptione*. Adde Cic. *l. X. ep. 34 et 35.*

## SECTIO II

## DE LEGIONIBVS.

## §. I.

**E**Xercitus romanus diuidebatur in legio-  
nes et auxilia. Legiones robur erant ex-  
ercituum: nomenque habent a legen-  
do.

do, id est, eligendo milites ex iuuentute romana, quum latini populi et Itali nollent quondam milites dare. Historia est apud Liuium *l. VII. c. 25.* et Eutrop. *l. II. c. 3.*

§ 2. Tum legio constabat quatuor millibus et ducentis, in quibus soli ducenti equites erant. *Liui. c. 1. et l. XXXVII. c. 28.* Bello punico autem secundo auctus numerus, vt quinque millia peditum, trecenti equites essent. *Liui. l. XXII. c. 36.* Tandem etiam sex millia adsumta sunt in legionem, præsertim a C. Mario, vt Festus auctor est: nec tamen vumquam certus numerus fuit; sed sub Cæsaribus nunc maiores, nunc minores legiones, pro ratione temporum aut imperantium arbitrio.

§ 3. Quum vero augetur aut minueretur legio: per id numerus partium non mutatus; sed, quod Gellius *l. XVI. c. 4* ex veteri auctore dicit, semper obseruatum fuit, vt in legione essent x cohortes, xxx manipuli, lx centuriæ. In numerosiore legione cohortes etiam et centuriæ erant pleniores: secus autem res se habebat, si intra quatuor millia militum constaret legio. Nam tum quidem *centuria* dicebatur, non autem centenarium numerum attingebat: sic etiam *cohors* nunc maior nunc minor fuit, vt tamen plerumque censeatur quingentorum hominum. *Manipulus* duas centurias continebat: sed cessauit postea nomen, vnde raro significationis eius est mentio. *Contubernium* autem de-

cem



cem militum posteriore tempore dicebantur manipulus: vt est apud Vegetium l. I r. c. 13.

§. 4. Legiones, quod plures erant in imperio romano, per numeros distinguebantur: vt esset prima, secunda, octaua, decima quarta, vicesima, et sic deinceps. Vnde milites harum legionum primani, secundani, vicesimani apud Tacitum aliosque dicuntur. Erant etiam quibusdam certa virtutis cognomina; vt dicerentur victrices, adiutrices, geminæ, fulminatrix: aut a loco, cui præsidio fuerant, cognominabantur; vt melitene, germaniciana aliæque plures.

§. 5. Equestris militia in *turmas* diuidebatur, et in legione erant *turmæ* decem: vnde si trecenti erant in legione equites, *turma* triginta equites continebat; sin pauciores erant equites, minores etiam *turmæ* erant. Varro *del. l. h. IV. c. 16.*

### SECTIO III DE ARMIS.

#### §. I.

**A**rima alia *leuia* erant militum velutum, quæ inde *velitaria* etiam dicuntur, vt *fagittæ* et *misilia* tenuiora: alia *grauia*, in quibus præcipuum *pilum* fuit, proprium telum legionarii militis; quo late patens vulnus infligebatur, et quod ita iaciebant, vt amento, id est, loro adnexo retrahere ad se possent. Erat autem *pilum* hasta quatuor et dimidii cubito-

D

rum

rum: lignum tres cubitos habebat; ferrum totidem, sed dimidia parte ligno adnexa. Summitas acuta ita erat, vt etiam esset quadrangula: vt ex Liuii *l. XXI. c. 8* apparet. De vulneribus pilo factis vide *Florum l. II. c. 7. n. 9.*

§. 2. Armis etiam tegumenta quædam corporis iungenda sunt: vt lorica, scutum, parma, galea et casis. *Lorica* a loris nomen habet, ex quibus complicatis olim fiebat: *thorax* etiam dicta, quia thoracem tegebat. *Varro de l. l. l. IV. et Donat. ad Virg. Aen. l. X. v. 337.* Postea ex lamina fiebat: cuius generis quæ totum corpus contegebant, *clibanii* dicebantur, et milites his armati, *clibanarii* et *cataphracti*; quæ vero barbarorum potius orientalium, quam Romanorum armatura erat. *Lampr. in Alex. c. 56. Amm. Marc. l. XVI. c. 16. et Eutrop. l. VI. c. 7. n. 5.* *Loricæ* etiam ex lana compacta et stipata fiebant leuitatis causa, aut ex crasso corio. *Nep. in Iphicr. c. 1. n. 4. Suet. in Galba c. 19.* *Aeneæ* si *loricæ* essent: plerumque fuerunt squameæ, id est, hamulis inter se nexæ, agilitatis causa; quales a Virgilio describuntur *l. V. Aen. v. 259. et l. XI. v. 487.*

§. 3. *Scuti* forma oblonga erat et productior, *clipei* rotunda; quemadmodum ex *Liui. l. XLIV. c. 33. Festo et Lipsio de mil. rom. l. III. dial. 2* discimus: *parma* itidem rotunda et in omnes partes par a medio, vt *Varro de l. l. l. IV. docet*; *tripedalis* dicta *Liuius l. XXXVIII. c. 21.* *Galea* ex pelle, aut corio fuit, *casis* e lamina; vt *Isidorus*

l. XVIII



*l. xviii. c. 14* distinguit: vtraque regendo capi-  
si apta. Vide etiam Tac. *de Germ. c. 6. n. 7.*

SECTIO IV  
DE SIGNIS MILITARI-  
BVS.

§. I.

**S**igno opus est militibus in itinere et in præ-  
liis, quod adspiciant et quod sequantur. Præ-  
cipuum ex his et integræ legionis erat a-  
quila argentea, hastæ præfixa: cuius figuram in  
pluribus nummis expressam videmus. Vid.  
*Cic. cat. 1. c. 9.* et *Plin. l. x. c. 4.* Qui gerebat a-  
quilam, *aquilifer* dicebatur. *Cæs. de b. g. l. v. c. 37. n. 5.*

§. 2. *Vexillum* erat cohortium: et cohortis  
prætoriæ vexillum quum proponebatur in ca-  
stris, insigne erat ad arma concurrendum esse;  
quod ex Cæsaris *l. ii. de b. g. c. 20. v. 1.* et *l. iii.  
de b. c. c. 89. n. 4* constare potest.

§. 3. Posteriori ævo seu Constantinorum  
temporibus etiam *laborum* dictum fuit signum,  
cuius apud christianos veteres scriptores mul-  
ta mentio est. Vid. *Prud. in Symm. l. i. v. 487.*

SECTIO V  
DE MACHINIS POLIOR-  
CETICIS.

§. I.

**M**achinæ sunt tormenta, quibus in oppu-  
gnationibus urbium utebantur. Tales  
erant

erant aries, ballista, catapulta, helepolis, turris rotata et vinea.

§. 2. *Aries* fuit trabs longa, ferro grandi præfixa: quod olim figuram capitis arietini habebat, vnde etiam nomen; postea simpliciter tantum acutum fuit. Hoc a militibus cum impetu agitato muros perforabant. Ioseph. *de b. iud.* l. III. c. 9.

§. 3. *Ballista* machina erat, qua trabes feratæ, vt tela arcu, excutiebantur: *catapulta* iaciebat molares lapides, sicuti funda minores. Sic Cæsar distinguit *de b. c. l. II. c. 2. n. 2. et c. 9. n. 3.* Alius loquendi vsus erat antiquiorum: ballistis lapides, et trabes catapultis tribuentium. Vid. Cic. *tusc. l. II. c. 24.* et Plaut. *capt. a. 4. sc. 2. v. 16:* quos etiam post Cæsarem Tacitus, Seneca aliique imitantur.

§. 4. *Helepolis* turris militaris genus fuit, posteriori æuo ad expugnandas vrbes inuentum: cuius structuram descripsit Ammianus in Iuliani expeditione *l. XXIII. c. 5.*

§. 5. *Turris rotata* ex ligneis contabulationibus constabat, vt altitudinem muri æquaret vel superaret: et rotis imponebatur, vt facilius ad muros admoueri posset. Si quid proximum accessum impediret, ponticulus superiori parti adiunctus in murum demittebatur. Vid. Liu. *l. XXI. c. 11:* et adde Curt. *l. IV. c. 6. n. 9. et l. VIII. c. 10. n. 32.*

§. 6. *Musculus* et *vinea* erant machinæ, quibus milites vrbem oppugnantes tegebantur.

Cæs.



Cæf. de b. c. l. I I. c. 10. c. 2. n. 1. et de b. g. l. VII. c. 27. n. 2. *Pluteus* autem asseres ad milites a latere vel fronte etiam defendendos: quamquam et integræ machinæ sic dictæ leguntur. Vid. Cæf. de b. g. l. VII. c. 25. n. 1. et de b. c. l. I. c. 25. n. 10. l. II. c. 9. n. 5.

§. 7. *Testudo* sequitur, hoc est, continuata scutorum inter se supra militum capita iunctorum series: qua tecti succedere ad murum, aut inuadere hostem, aut repellere inuadentem tuto poterant. Liu. l. XLIV. c. 9. l. XXXI. c. 39. Cæf. de b. g. l. II. c. 6. n. 2. Curt. l. V. c. 3. n. 9. 21. 23. Flor. l. III. c. 10. n. 13. et Dio l. XLIX. p. 409. Inferiores autem scriptores testudinum nomine tamquam communi machinarum regentium vocabulo videntur, ut vineas etiam et alia huiusmodi comprehendat. De his singulis præclare agit et accurate Lipsius in *poliorceticis et de militia romana*.

§. 8. *Corona* superest et *circumuallatio*, quibus vrbes olim capiebantur. *Corona* erant milites circum urbem constituti ita, ut vir quasi virum tangeret: ut nihil ingredi, nihil egredi inuitis oppugnatoribus posset. Quod vero eruptiones timendæ erant: coronam non simplicem, sed duplicem, ut vna subsidio alteri esset; sæpius etiam triplicem faciebant. Id dicunt historici, urbem corona capi: quod plerumque fiebat in tumultuaria et festinata oppugnatione. Exempla vide apud Cæf. de b. g. l. VII. c. 72. n. 2. et Liu. l. XLII. c. 18. *Circumuallatione* vallum circa urbem erigebatur, quod distinctum mul-

tis turribus et castellis erat, defensionis causa.  
*Cæs. de b. g. l. VII. c. II. n. 1. et Cic. l. XV. ep. 4. n. 21.*

## SECTIO VI

## DE MILITIA NAVALI.

## §. I.

**N**Aualis militia vim maximam in *rostris* habebat, quæ ex ferro constabant. Olim hæc adunca erant instar rostri auium, unde nomen hæsit: postea directa et plerumque trifurca, instar tridentis. Hoc ferrum magni ponderis præfixum proræ erat ex parte inferiore: unde, si naus remigio agigaretur in hostilem nauem, perforari poterat et deprimi. *Cæs. de b. g. l. III. c. 13. n. 8. et de b. c. l. III. c. 101. n. 2. Hirt. de b. al. c. 44. n. 4.*

§. 2. Nauibus utebantur veteres minoribus agilitatis causa: sed quod magnitudini deerat, multitudine supplebatur. Sic legimus, bello punico i utramque rempublicam, romanam et carthaginensem, classem habuisse singulas nauium trecentarum, quadringentarum et plurium. *Eutrop. l. II. c. 12. n. 1. 4. 6.*

§. 3. Bellicis his siue rostratis nauibus addebantur aliæ *oneraria* ad com meatum bellicumque apparatus aduehendum. *Liu. l. XXXII. c. 18. et Plut. in Pompeio p. 624.*

§. 4. *Liburnæ* naues ex leuiorum biremium genere erant: a Liburnis, populo Illyriæ, qui inuenerat, ita dictæ. *App. Alex. de b. ciu.*



*ciu. l. II. pag. 452. et Eutrop. l. II. c. 10. n. 9.* Remis vero utebantur veteres plerumque : quoniam his opus est in mari mediterraneo, in quo malacia sæpe seu ventorum quies suboritur.

§. 4. Ceterum navis, quæ ducem ferebat, dicta fuit *prætoria*: quemadmodum milites navales, distincti a remigibus, vocabantur *classarii*. Liu. *l. XXXVII. c. 29.* et Tac. *ann. l. XV. c. 51. n. 1.*

## SECTIO VII

## DE PRAEMIIS MILITIAE.

## §. I.

**P**ræmia vel militum erant ob rem bene gestam, vel summorum ducum. Militum (etiam illorum, qui ordines ducebant) erant coronæ et hasta pura : summorum ducum triumphus aut signa triumphalia, etiam supplicationes.

§. 2. *Coronæ* varia erant genera, quæ Gellius *l. v. c. 6* describit. *Ciuica*, ex quernis ramis facta, dabatur militi, qui ciuem in prælio seruauerat. Multa huius coronæ exempla in nummis veteribus sunt: etiam Iulius Cæsar adolescens tali ornatus legitur apud Suetonium *c. 2.* *Obsidionalis* erat eius, qui urbem obsidione liberauerat vel castra. Adde eundem Gell. *l. II. c. II.* et Plin. *l. XXI. c. 4.* *Muralis* data ei, qui primus in murum hostilem adscendisset. Exempla sunt apud Liu. *l. X. c. 46.* et *l. XXVI. c. 48.* *Castrensis*, quæ etiam *vallaræ* dicitur, data ei fuit,

qui primus in castra hostium irrupisset. Liu. l. x. c. 46 l. xxx. c. 28. Val. Max. l. I. c. 8. ex. 6. *Navalis* denique corona seu *rostrata*, a rostris nauium sic dicta, dabatur illi, qui primus nauali proelio in hostilem nauem transfilerat: qualem Agrippæ, duci suæ, Augustus dedit, quum Sextum Pompeium in mari siculo vicisset. Plin. l. xvi. c. 4. et Dio l. xlix. p. 400.

§. 3. Maximum præmiorum, quo ducés victores ornabantur, erat *triumphus* a senatu decretus: vbi victor cum suis extra urbem cum proconsulari potestate manebat (Latini dicunt *ad urbem esse*) vsque ad statutum triumphi diem, quo præeunte senatu triumphalem portam ingressus vectusque curru, quem quatuor albi equi trahebant (cuius formam in nummis videmus), ascendit in capitolum, vbi sacris factis in templo Iouis capitolini publicæ epulæ per ciuitatem dabantur. Ante triumphalem currum fercula prædarum præferbantur, etiam imagines pictæ captarum urbium et regionum. Proxime autem ante currum ibant captiui reges, ducés, principes, manibus a tergo ligatis: qui si speius de Romanis meriti fuissent, antequam in clium capitolinum venirent, in tusculanum carcerem abducti strangulabantur. Liu. l. III. c. 29. l. v. c. 23. et ep. 67. Plut. in P. Aemilio p. 272. et Cic. in Pis. c. 25.

§. 4. Si victoria tam illustris non erat; nec tantus numerus cæsorum hostium, quantum ad triumphum requirebatur: tum *ouatio*  
tan-



tantum, quasi minor triumphus, decreta fuit; in qua id differentiae erat, quod triumphantes curru vehebantur, ouantes autem equo aut pedibus ibant. Liu. l. xxxi. c. 20. Vell. l. ii. c. 96. n. 3. et c. 122. n. 2. et Plut. in M. Marcello p. 310.

§. 5. Quum Cæsares rerum potirentur: sibi solis eximium triumphi honorem rati conuenire, ducibus suis post victoriam tantum *insignia* vel *ornamenta triumphalia* conferebant. Qui honor postea inter priuatos fuit maximus. Suet. in Aug. c. 38. Tac. in Agr. c. 40. n. 1. et ann. l. i. c. 72. n. 1.

§. 6. Triumpho adiungitur *supplicatio*: quæ etiam post victoriam decernebatur et Catonis iudicio ad Cic. l. xv. ep. 5. n. 4. vel ipso triumpho erat clarior. Sed de hac iam supra c. i. f. iii. n. iv actum est p. 15.

§. 7. Ceterum de triumpho in monte albano, quem ii aliquoties citra senatus auctoritatem egerunt, quibus per inuidiam hic honor negabatur, vide Liuium l. xxx. c. 23. l. xlii. c. 21: et de depositione lauri in gremio Iouis, quæ conuenientiam cum triumpho habebat et qua gratiæ quasi actæ fuerunt pro concessa victoria, Suetonium in Domit. c. 6. et Plinium pan. c. 8. n. 3.

## CAPVT IV

DE

## CIVITATE ROMANA

eiusque

## SECTIO I

DE

IVRE CIVIVM ROMANO-  
RVM.

## §. I.

**I**VS ciuitatis romanæ fuisse maximæ et amplissimæ dignitatis, tam ex sacra Pauli apostoli, qui bis ad illud prouocauit tamquam ciuis: quam ex profana historia luculentum est. Sub regibus non quidem optimo iure ciues utebantur, adscitis in ciuitatem quibusque peregrinis, etiam hostibus deuictis. Cic. *pro Balbo* c. 13. Exactis regibus aucta ciuium dignitas: et breui post ampliati honores, plebeio magistratu inducto. Creuit autem romana ciuitas receptis peregrinis: quod insolens apud Græcos erat; et Romæ maxime factum post captam a Gallis urbem, Actum quidem aliquoties de peregrinis reiiciendis: sed Cicero *l. III. off. c. II* inhumanum dixit. Nec peregrinis modo ciuitas: sed seruis etiam bene meritis aliquando simul cum libertate data fuit. Cic. *pro Balbo* c. 9.

§. 2.



§. 2. Ius ciuitatis simpliciter *ciuitatem* appellabant scriptores. Et hæc tum in aliis priuilegiis, puta libertatis, suffragiorum, honorum; tum maxime in vinculorum, verberum ac necis remotione, lege cornelia et porcia, consistebat: vt de iure testamenti, connubii, hereditatis, potestatis patriæ et militiæ legionariæ taceamus. Vid. Cic. *pro Rab. c. 4.* Verr. VII. c. 66. Liu. l. X. c. 9. Act. XVI. v. 37. etc. XXII. v. 25.

§. 3. Ciuitas romana adimi non poterat: nisi quis sponte desereret, vt in aliam reciperetur. Cic. *pro Cec. c. 33. 34. 35.* et *pro domo c. 30.* Nec exsilii pœna eam adimebat, nec interdictio ignis et aquæ; quod ex eodem Ciceronis loco *pro domo* patet: nisi ciuis scriberetur in ea vrbe, vbi exfulabat; non enim poterat aliquis Romæ et alibi simul ciuis esse, quod exemplo *Attici* apud Nepotem c. 3. n. 1 constat, propterea oblatam sibi ab Atheniensibus ciuitatem recusantis.

§. 4. Amittebatur autem ciuitas: si quis ad vltimum supplicium damnatus esset, siue in metalla aut in insulam deportatus. Vide l. VI. ff. de *interdictis et relegatis.* In republica libera quidem grauissima exsilii pœna erat interdictio ignis et aquæ: sed his tamen plerumque ciuitas seruata fuit, vt ex Cic. *pro domo c. 30* constat; licet de sua ætate Pomponius iureconsultus l. XVII. ff. de *legationibus* aliter sentiat. At sub Cæsaris deportatio in insulam grauissimum exsilii genus habebatur: ciuitatem adimens, etiam bona et fortunas. Vid. Vlp. l. VI. ff. de

*de interdictis et relegatis et deportatis* : et ibidem l. xiv, ubi deportationem a relegatione distinguit.

§. 5. Ut ergo breuiter dicamus, ciuitas romana tripliciter amittebatur : *exsilio grauiore* seu deportatione, de qua iam dictum ; *postliminio*, quando, qui ciuis romanus factus erat, in pristina patria rursus erat ciuis scriptus ; *reiectione* si quis sponte in coloniam latinam proficiscebatur. Cic. *pro Balbo c. 12. pro Cæc c. 33.* Excipiendi tamen hic sunt *municipes* Italiae, quorum duplex patria erat : altera *loci*, in qua nati, cuius iura semper retinebant ; altera *iuris* id est, Roma, in cuius ciuitatem transcripti erant. Prior in legibus etiam origo vocatur et originalis patria. Vide l. xxii, ff. *Ad municipalem*, cetera.

§. 6. Ad ea igitur, quæ in legibus dicuntur, recte intelligenda, distingui debent ius ciuitatis romanae, ius Quiritium, ius Latii vel Latinorum, et ius italicum, etiam ius municipiorum et coloniarum. Ius *ciuitatis* iam exposuimus. Sequitur, ut de reliquis etiam agamus : si prius de proletariis et capite census pauca adiecerimus.

§. 7. Sæpe fit mentio *proletariorum* et *capite censorum* apud scriptores. Illi erant tenuissimi pauperrimique in plebe romana : hi vero, qui vel nullo aut perquam paruo ære censebantur. Vtrique autem fuerunt ciues, iura ciuitatis, ut sunt



funt connubii, testamenti, patriæ potestatis, ce-  
 tera habentes: sed sine suffragio et sine spe ho-  
 norum adipiscendorum. Vid. Gell. l. xvi. c. 10.

## SECTIO II

DE IVRE QVIRITIVM ET  
LATII.

**C**Ontroversia est inter eruditos de iure  
*Quiritium et Latii*, de qua ad Plin. l. x. ep. 4.  
 n. 2 aliquid diximus: qui etiam iuris Qui-  
 ritium meminit ep. 6. n. 2; et iuris Latinorum ep.  
 105. Nimirum ius Quiritium quibusdam est i-  
 psum ius Latii: aliis idem, quod ius civitatis.  
 Sed præferenda illorum sententia, qui ab v-  
 troque distinguunt, ex laudatis Plinii episto-  
 lis persuasi: maius, quam ius Latii; minus,  
 quam ius civitatis. Adde eundem Plin. l. x.  
 ep. 10. n. 1. et Sueton. in Claudio, c. 19.

## SECTIO III

DE IVRE MVNICIPIORVM ET  
COLONIARVM.

## §. I.

**D**istinguebantur municipia a coloniis:  
 quemadmodum ab vtrisque diuersæ  
 erant præfecturæ.

§. 2. Ante bellum sociale *municipia* suo tan-  
 tum iure utebantur: tributum autem populo  
 romano dabant et militem. Ac tum quidem  
 ius

ius ciuitatis erat penes solam urbem Romanam. Indignabantur autem Latini, indignabantur omnes Itali, quod bellum pro Romanis facerent, nec tamen æqualibus vterentur priuilegiis. Vnde multæ seditiones: et tandem etiam bellum grauisimum, quod sociale, italicum et marsicum appellatur; quo Itali, deficientes ab urbe romana, post mutuas clades tandem id consecuti sunt, vt, qui arma ponerent, ius ciuitatis obtinerent. Flor. l. III. c. 18. Liu. ep. 80. Vell. l. II. c. 16. et Eutrop. l. v. c. 2. A quo tempore ciuitas, quæ lege iulia (L. Iulii Cæsaris) teste Cicerone *pro Balbo c. 21* iam ante data erat Latio, toti Italiæ concessa fuit: cessauitque hinc, quod toties in Liuiio et apud Sallustium legitur, *ciues latini nominis et socii*.

§. 3. Retinebant ergo municipia leges suas et statuta vetera: ius autem ciuitatis hac conditione impetrauerant, vt honores possent petere seu munera capere in urbe romana; vnde etiam nomen ipsis hæsit et factum, vt potiores vrbes Italiæ municipia Italiæ sint appellata. Ipsum autem ius, quo fruebantur, duplicis erat ordinis: cum suffragio, et sine illo; vti ex Gellii l. xvi. c. 13 apparet. Ceterum et hoc obseruandum hoc loco est, in iure romano et æqualibus libris sæpe municipia vocari quasuis ciuitates.

§. 4. Deinde lege plotia etiam peregrinis, qui in urbe quadam italica ciues scripti fuerant,

ius



iūs ciuitatis romanæ certis conditionibus datum est: quod ex Cicerone *pro Archia* c. 4 constat.

§. 5. *Coloniæ* dicebantur oppida, in quæ populus romanus ciues suos ad habitandum deduxerat. Et harum conditio magis obnoxia erat, quoniam iura institutaque omnia romana, non sui arbitrii, habebant: quamquam potior existimabatur et præstabilior propter amplitudinem maiestatemque romani populi, cuius quasi effigies parvæ et simulacra quædam videbantur; ut Gellius loquitur *l. xvi. c. 13*. Erant autem duplices: vel *latina*, hoc est, cum iure Latii deductæ, ut Bononia apud Liuv. xxxvii. c. 57; vel *ciuium romanorum*, apud eundem *l. xxxix. c. 55*.

§. 6. *Præfecturæ* erant oppida Italia: et quidem deterioris conditionis, quam municipia et coloniæ. His enim præfectus quotannis Roma mittebatur, qui eas administraret et ius diceret: ut adeo non longe abessent a provinciæ forma. Talis fuit Capua per annos plurimos, quod bello punico secundo ad Hannibalem defecisset. Vid. Liuv. *l. xxvi. c. 16*. Cic. *cat. III. c. 2*, et Festum in hoc vocabulo.

## SECTIO IV

DE COMMUNICATIONE CIVI-  
TATIS IN PROVINCIIS.

## §. I.

**S**Vccessu temporis migravit etiam ciuitas in prouincias. Gallia cisalpinæ, præsertim cispadanæ (nam Gallia italica in prouinciis censebatur vsque ad Augusti tempora) data ciuitas post Italiam, teste Strabone *l. v. ineunte*. Transpadanæ primo datum ius Latii: Iulius autem Cæsar addidit ciuitatem. Dio Cass. *l. xli. p. 170.* et Ascon. *in Pisonianam*. Hinc Gallia illa cisalpina a vestitu romano dicta fuit togata.

§. 2. A Iulii Cæsaris temporibus ius ciuitatis romanæ etiam prouincialibus extra Italiam dari cœptum est: Gallis præsertim, Hispanis et aliis; nec vero integris prouinciis, sed singulis hominibus aut oppidis de Cæsare bene merentibus. Sueton. *in Cæsare c. 24 et 42*. Plura ex inscriptionibus de Hispanorum municipiis adferri possunt. Sic vsque ad Antoninorum tempora ciuitas pluribus in diuersis prouinciis fuit concessa: quibusdam tantum ius Italiae, vt apparet ex *l. l. ff. t. 15 de censibus*.

§. 3. Tandem *l. xvii. ff. de statu hominum* Vlpianus: *In orbe, inquit, romano qui sunt, ex constitutione Antonini ciues romani effecti sunt*. Disputari solet, quis ille Antonius fuerit. Quidam Pium intelligunt: alii Marcum. Sed verior sententia, esse Antonium Caracallam: quia hæc  
con-



constitutio non vt beneficium lata est, sed vt fiscus augeretur; et pater ipsius Seuerus dicitur apud Spartianum *c. 7* natus ante ciuitatem omnibus datam.

§. 4. Nihilominus post Caracallam etiam memorantur nonnumquam in prouinciis mansisse iuris italici: quod arguit, vel mutatam fuisse Caracallæ constitutionem; vel a quibusdam non acceptum illud Antonini priuilegium, contentis veteri, quo utebantur, iure Italiae, quod immunitatem dabat, suffragia negabat et honores in vrbe capiendos.

CAPVT V

DE

PROVINCIIS  
ROMANORVM

eiusque

SECTIO I

DE

APPELLATIONE PROVIN-  
CIARVM.

§. 1.

**A**vincendo dicuntur prouinciæ: quia bello acquisitæ erant; siue, vt Festus loquitur, a populo romano prouiciæ, id est, ante uictæ.

E

§. 2.

§. 2. Erant autem provinciæ omnes extra Italiam : nisi quod Gallia cisalpina siue circumpadana ante Augusti tempora etiam in provinciis fuit censa ; vt clarissime patet ex Cæsaris *ciuili bello* et ex Ciceronis *philippicis et epistolis l. x et xi.*

SECTIO II

DE ADMINISTRATIONE  
PROVINCIIARVM.

§. I.

**A**dministratio provinciarum primum *praetoribus* committebatur, quos *propraetores* etiam dicebant: deinde *proconsulibus* quoque, quorum dignitas et provincia maior erat, quam praetorum. *Liui. l. xxxii, c. 27. et Cic. phil. xi. c. 12.*

§. 2. Quoniam autem inæquales erant provinciæ; et vna opimior, quam altera: sorte distribuebantur ad contentionem excludendam. *Cic. l. i. ep. 9. n. 74. et l. viii. ep. 8. n. 21.* Interdum sine fortitione de illis conueniebat inter praefides: quod *parare* provincias vel *comparare*, dicebant. *Cic. l. i. ep. 9. n. 74. et Liui. l. xxxii, c. 8. et l. xxxviii, c. 35.*

§. 3. In provincia praefides omnia agebant more romano, *forum* instituentes in praecipuis urbibus. *Cic. l. iiii. ep. 6 n. 8. et ad Attic. l. v. ep. vltima.* Vocabant etiam *conuentus iuridicos*, quorum plures erant in vna provincia. *Plin. l. iiii.*

c. 1.



c. 1. 2. 3. Habebant secum etiam causfidicos romanos: qualis erat Trebatius apud Cæsarem in Gallia, ad quem existant Ciceronis *epistola l. VII.*

### SECTIO III DE DIVISIONE PROVIN- CIARVM.

#### §. I.

**P**rouinciæ aliæ erant *prætorie*; aliæ *consulares*, quas proconsulares etiam dicebant; et rursus aliæ *præsidales*, quæ accedebant sub Cæsaribus: pro discrimine magistratum, qui ad eas regendas a senatu vel principe mittebantur. Cic. *l. VIII. ep. 8. n. 21. phil. 1. c. 8.* et Sext. Ruf. *c. 4. et 5.*

§. 2. Sed et alia prouinciarum diuisio ac diuersa pro diuersis temporibus obseruanda est. Alia enim ratio fuit liberæ reipublicæ ante Augustum Cæsarem: alia ab Augusto et deinceps, quum Claudius præcipue ac Traianus aliquid adiecissent: alia etiam sub Diocletiano, Constantino ac sequentibus, utpote qui nouis subdiuisionibus multiplicarunt prouincias. Et Iustinianus aliquid mutauit: circa quæ tempora illæ diuisiones ortæ videntur, quæ in ecclesiasticis occurrunt. Quod ut eo fiat clarius, exemplis quibusdam demonstrandum est.

§. 3. Inde a punicis bellis HISPANIA diuisa erat in *citeriorem* et *ulteriorem*: quod Lilius docet



docet *l. xxxi i. c. 28.* et *Cic. pro leg. man. c. 12.* Augustus autem Cæsar tres fecit Hispanias: *tarracconensem*, quæ fere citerior fuerat; *beticam* et *lusitaniam*. Strabo *l. xvii. p. 840.* et Dio *l. liii. p. 503.*

§. 4. GALLIA olim in transalpinam et cisalpinam diuisa fuit. *Cic. pro Mur. c. 41. et pro leg. man. c. 12.* *Cisalпина* autem pars erat Italiae. *Transalpina* etiam *comata* dicebatur, et pars Alpibus atque Italiae prior *braccata*: *cisalпина* autem *togata* post sociale bellum. Dio *l. xlvi. p. 326.* et Plin. *l. iiii. c. 4.* *Transalpina* Ciceroni quoque *ulterior* Gallia vocatur siue *ultima*: et *cisalпина* *citerior* in *phil. vii. c. 1. et de prou. cons. c. 15.*

§. 5. Iulius Cæsar transalpinam in tres partes diuisit; <sup>ling. gallica</sup> *celticam*, *aquitanicam* et *belgicam*: pars autem a Romanis iam olim obtenta *κατ' ἐξοχὴν* dicebatur *prouincia*. Vide eius *de b. g. l. i. c. 1. n. 1.*

§. 6. Augustus Cæsar quatuor constituit partes, prolatis etiam terminis Iulii: *narbonensem*, *lugdunensem*, *aquitanicam* et *belgicam*. Strabo *l. iv. p. 177.* In *belgica* autem postmodum duas ad Rhenum fecit *prouincias*: appellauitque *Germaniam* *superiorem* et *inferiorem*, quia *germanicæ* gentes in illas regiones traductæ fuerant. Vtramque dixerunt vno nomine *Germaniam cisrhenanam* respectu Romanorum: vt tamen vtraque sic *prouincia* manserit pars Galliae *belgicæ*. Dio *l. liii. p. 503.* et Tac. *annal. l. iv. c. 73. n. 1.*

§. 7. Tandem Diocletiani et Constantini tempore, quum nouæ vbiq; subdiuisiones fie-

*Horat. l. i. p. 100.*  
*ling. gallica*  
*celticam*  
*aquitanicam*  
*belgicam*



fierent, vel sola Gallia XIV provincias accepit.  
Vid. Sext. Ruf. c. 6.

§. 8. IN GRAECIA etiam provinciae pro temporibus aliter atque aliter sunt distributae. Olim erat *Graecia libera* distincta ab regnis *Macedonia* et *Epiri*. Post bella Romanorum *macedonica* et *achaicum* Romani duas ex universa Graecia provincias fecerunt: *Macedoniam*, quae per proconsules regebatur; et *Achaiam*, qua omnis Graecia libera continebatur, id est, *Achaia propria*, *Peloponnesus*, *Attica*, *Boeotia*, *Locris*, *Phocis*, *Aetolia*, *Acarmania* et pars *Epiri*. Et haec Graeciae divisio valet etiam in nouo testamento: vt Act. xix. v. 21. Rom. xv. v. 26. 1. Thes. i. v. 7; et de Achaia sola 2. Cor. i. v. 1.

§. 9. IN ASIA citiore, quanta Romanis paruit, provinciae erant *Asia propria* siue *Asia dicta*, hoc est, regnum Attalorum; quemadmodum id nomen ita acceptum habemus Act. ii. v. 9. et Apoc. i. v. 4. item *Bithynia*, quae aliquando proconsules habuit; etiam praetores siue propraeores, qualis Plinius minor erat consulari potestate, vti ex eius l. x. ep. 77. nostrisque ad eam notis constat: et *Cilicia*, provincia proconsularis, cuius proconsul ipse Cicero fuit et cui adiectae tum erant tres ex Asia dioeceses, in veteri Phrygia maiori sitae; quemadmodum ex l. III. ep. 8. n. 15. l. XIII. ep. 67. n. 1 et aliis utriusque huius libri epistolis discimus.

§. 10. SYRIA etiam provincia Romanorum fuit:



fuit: cuius multa mentio est in Ciceronis epistolis et quam Lucas quoque memorat *c. 2. v. 1.*

§. 11. De IVDÆA provincia operæ quoque pretium est hic ex historia antiqua aliquid repetere. Nimirum illa regnum Archelai fuit, quem Matthæus nominat *c. 11. v. 22:* nec vero amplior, quam Iudæa propria et regio samaritana; quoniam Galilæa et Peræa a tetrarchis regebantur. Eius autem præfides Pilatus, Festus, Felix, neque proconsules fuerunt, neque prætores: sed, ut a Tacito *ann. l. XII. c. 54. n. 6. et l. XV. c. 44. n. 4* denominantur, *procuratores Cæsaris.*

§. 12. Ad illustrandum præfens argumentum faciunt etiam illæ provinciæ, quas imperatores quidam addiderunt. *Augustus* adiecit Pannonias, Aegyptum, Noricum, Rætiam, Vindeliciam, Germanias, id est, Germaniam cisrhenanam in solo gallico sitam: et alias. Dio *l. XLIX. p. 413. 414. l. LIV. p. 534. 536. l. LIII. p. 503.* Sext. Ruf. *c. 7.* Suet. *in Aug. c. 18. 21.* Claudius Britanniam et Mauritanias. Eutrop. *l. VII. c. 8. n. 3.* et Dio *l. LX. p. 670. 671.* Traianus Daciam, Asyriam, Arabiam et plures. Eutrop. *l. VIII. c. 2.* Quasdam ex his remisit Adrianus: Daciam Aurelianus. Eutrop. *l. VIII. c. 3. n. 3. et l. IX. c. 9. n. 10.* Et sic fere mansit vsque ad Diocletianum et Constantinum: et tum numerus provinciarum per novas subdivisiones mire auctus fuit. Vid. Sext. Ruf. *c. 4. seq.* Lact. *de mort. pers. c. 7. n. 4.* et Zof. *l. II. c. 33.*

§. 13.



§. 13. Tandem et illa prouinciarum diuisio commemoranda est, quam Augustus nouo modo instituit, vt et odium regni euitaret et tamen summam potentiam teneret cum exercitiis. Pacatas enim nec indigas præsidii reliquit senatui et populo: quæ veteri more per proconsules et proprætore*s* cum quæstoribus administrabantur. Limitaneas autem et alias, quibus opus erat militari præsidio, sibi reseruauit. Et hæ dicebantur prouinciæ Cæsaris vel principis: quemadmodum is, qui pro Cæsare regebat eas, non proconsul nec proprætor; sed legatus principis vel Cæsaris appellatus fuit. Pro quæstoribus autem erant ibi procuratores Cæsaris, qui redditus curabant: nisi quod in minoribus prouinciis, vt Iudæa erat, etiam iurisdictionem habebant. Vide supra c. II. *sect.* II, n. VIII et IX. p. 42 et 43.

## CAPVT VI

DE

## IUDICIIS ROMANORVM

eiusque

## SECTIO I

DE

## IUDICIIBVS.

§. I.

Iudicia antiquitus penes reges erant: et his expulsis primi quoque consules exercebant.

E 4

Post

Post crescente republica, quum consules omnibus negotiis non sufficerent: duo praetores sunt creati, qui priuatarum rerum iudiciis praessent; consules autem curarent publica. Praetorum alius erat *urbanus* seu urbis, alter *peregrinus*: ille inter ciues et ciues ius dicebat; hic inter peregrinos et ciues, aut peregrinos solos, romano tamen imperio subiectos. Plures postmodum praetores creati: sed prouinciarum, qui pro consulibus in prouinciis ius dicerent. Circa fullana tempora aucta sunt quaestiones; et ob id praetorum etiam numerus auctus, qui in vrbe manerent: vt tamen vnus praecipue praetor urbis seu *urbanus* vocaretur. Vid. supra c. II. sect. I. n. v. p. 29.

§. 2. Praetor erat praeses iudicii: adsestos eius dicebantur *iudices*, quorum magnus erat numerus, praesertim in *centumuirali iudicio*, quod ita a numero rotundo vocabatur; quamuis centum quinque ordinario modo, et Festo auctore saepe plures essent. De qua re ad Plinii l. I. ep. 5. n. 4 plura diximus.

§. 3. Non autem erant iudices perpetui: sed forte legebantur ad certam aliquam causam, ne pars litigantium posset suspectos habere. Cic. *pro Mil. c. 16*. Iidem etiam iure iurando adstricti erant ad sincere iudicandum. Meminit iurisiurandi eius Cicero *pro Roscio amer. c. 3*: et Asconius in *Verr. II*, vbi etiam de fortitione iudicum et subfortitione agit, si quidam fuissent a reo aut accusatore reiecti.

§. 4.



§. 4. Iudices pro temporum diuersitate ex diuersis ordinibus lecti. Caius Gracchus iudicia senatui adempta equitibus dederat: Sulla post quadraginta annos solis senatoribus. Post decem autem annos Aurelius Cotta legem tulit, vt senatores et equites romani ac tribuni ararii (hi plebem repræsentabant) simul iudicarent atque iudicium conflarent ex omnibus tribus ordinibus. Plut. *in Graccho* p. 337. Appian. *de b. ciu. l. 1. p. 363.* et Ascon. *in c. 3. diu. verr.* Atque ita mansit per Ciceronis tempora: quod ex miloniana eius c. 2, et ex l. II. *ad Quintum fr. ep. 8 sub finem* constat. *Senatorum, inquit, vrna copiose absoluit: equitum adæquauit: tribuni ararii condemnarunt.* Ex quibus simul videmus, non promiscuos, sed singulos ordines separatim in iudicio fuisse. Tandem Iulius Cæsar solis senatoribus iudicia mandauit. Dio l. XLIII. p. 226.

§. 5. Sententiæ iudicum a quolibet in tabella scribebantur paucis litteris; in quibus A absolutionis nota erat, C condemnationis: si autem causa nondum esset liquida, scribebant N L, id est, *non liquet*; quæ nota ampliacionis dicebatur. Ascon. *in Verr. I. c. 7.* De vrna paullo ante ex Cicerone diximus. Ethæc de iudicibus.

SECTIO II  
DE LOCO IUDICIO-  
RVM.

§. I.

**L**ocus iudiciorum erat forum: vt omnes possent audire, quæ iudicarentur. *Centumuiralia* autem iudicia, quæ causas maioris momenti, vt testamentorum, hereditatum et similes habebant (quemadmodum ex Cic. *l. I. de orat. c. 38* constat) et quadrupliciter diuisa erant, exercebantur in basilica iulia: vt notis ad Plin. *l. I. ep. 18. n. 3* probauimus; quibus adde ea, quæ dicta sunt ad *l. I. ep. 5. n. 4*. Vix autem dubium, quin basilica illa in foro fuerit. Hinc actiones et causæ forenses appellantur.

§. 2. Erant præterea iudicia, quæ in senatu agebantur; grauiora scilicet et publica prouinciarum, quando proconsules aut proprætores a prouinciis, quas male rexerant, accusabantur: et in his posteriore tempore sæpe Cæsares præsidebant. Plin. *l. II. ep. 11. n. 9, 10, et l. III. ep. 9. n. 21 et 23*. Etiam alia interdum iudicia Cæsares ad se in aulam traxerunt. Plin. *l. VI. ep. 31. n. 1.*

SECTIO III  
DE ACCVSATORE ET  
REO.

§. I.

**A**ccusator in vna causa non semper vnus erat,



rat, sed poterant plures esse: contra reo etiam permissum, plures adhibere defensores. Vt vero singuli singulas haberent orationes; quod maxime in grauioribus causis fiebat, præsertim iis, quæ in senatu agebantur, vt ex Plinii *l. ii. ep. ii* apparet: præscriptum tempus erat, quot horis vteretur quisque ad dicendum; ideoque clepsydra adhibita in iudicio, quæ tempus definiret. Plin. *l. i. ep. 23. n. 2. et l. vi. ep. 5. n. 5. 7.*

§. 2. Hi accusatores et defensores dicebantur *causfidici, patroni causarum* et, si illustriores essent, *oratores*: non autem *aduocati*; qui amici erant reorum, rogati, vt reis in iudicio tantum præsentia sua adessent, quorum gratia iudices mouerentur. *Aduocationes* autem erant mora et tempus, quod a iudice petebant, dum amicos aduocarent. Vide, quæ ad Cic. *l. vii. ep. ii. n. 1* notauimus. Postea quum ex aduocatis talibus quidam etiam defenderent reum: factum est, vt aduocatorum nomen etiam causfidicis tribueretur; quod Vlpianus tradit *l. i. §. 10. ff. de extraordinariis cognitionibus.*

§. 3. *Rei* sunt accusati: qui non modo de causfidicis et defensoribus solliciti erant, et amicos aduocabant; verum etiam laudatores quærebant. De laudatione reorum vide, quæ ad Cic. *l. i. ep. 9. n. 8. et 13* notauimus: et adde Aescon. *pro Scauro sub finem. Laudauerunt*, inquit, *Scaurum consulares nouem: horum magna pars per tabulas laudauerunt, quia aberant.*



*rebus.* §. 4. Habitus reorum erat squalidus, adiunctis lacrimis, vt iudices ad misericordiam mouerent. Cic. *post red. ad Quirites* 2. 3. *pro Lig. c. 11.* et Gell. *L. III. c. 4.*

## SECTIO IV

## DE LEGIBVS.

## §. I.

**M**agna amplitudo vocabuli legis est, et latinis auctoribus varia significat. Proprie dicta lex, vt Ateius Capito apud Gellium *l. x. c. 20.* definit, est generale iussum populi aut plebis rogante magistratu. Dum dicit *generale*, vult omnes lege obligari debere. Atque ita lex manilia, quam Cicero oratione defendit, proprie lex non erat, sed potius priuilegium: quia de vno Pompeio agebat. Dum addit *rogante magistratu*, consensum ordinum requirit: quia nec consul, neque alius magistratus poterat legem ferre insciente ac inuito populo. Magistratus ergo, consules, tribuni, quod legis habere vim volebant, retulerunt ad populum: interrogantes, an velint, iubeant hoc ita fieri. Hinc leges dictæ *rogationes*, id est, interrogationes populi: de quibus Gellius *dicto loco* consulatur.

§. 2. Nata exinde est distinctio inter *legem propriam*, quæ ad ius ciuile referenda est; et inter *impropriam*, de singulorum honore vel iuribus: item inter *legem*, senatus consultum et plebiscitum,



tum, etiam populiscitum, quod nomen apud Nep. *in Alcib. c. 5. n. 4.* et Epam. *c. 7. n. 4* occurrit.

§. 3. *Senatus consultum* decretum erat a senatu factum, plerumque in publica causa: quum leges propriae agant de causis priuatorum. Duplex modus erat faciendi senatus consultum. Præcipuus fiebat per discessionem, qua in diuersas sententias ibant senatores. Hirt. *deb. g. l. VIII. c. 52.* Alter modus, sed minus frequens, consistebat in exquirendis sententiis: vbi consul ab illustrioribus sententiam, quid fieri velent, exigebat. Gell. *l. XIV. c. 7.* Quum senatus consultum scriberetur, quod plerumque vnus hominis honorem respiciebat: amici et fautores illius, si senatores essent, aut quicumque volebant ex senatu, scribendo aderant; eorumque nomina ipsi senatus consulto inferebantur. Exempla habes apud Cic. *l. VIII. ep. 8. n. 12. 13. et l. XV. ep. 6. n. 7. 8.* Quod autem de iis plebs non rogabatur: proprie loquendo leges non erant; certo modo autem vim legis habuerunt. Ceterum distinguuntur in iure secundum auctorum nomina, qui primi de reuelamento ad senatum retulerunt. Hinc in digestis memorantur senatus consulta tertullianum, trebellianum, macedonianum, filanianum, claudianum, turpillianum, velleianum, cetera.

§. 4. *Plebiscitum* sequitur. Est autem scitum aliquod statutum: et inde plebiscita, vt Pompeius Festus definit, appellantur ea, quæ plebs  
fu



suo suffragio sine patribus iussit, plebeio magistratu rogante. Gellius *l. xv. c. 27* ex Lælio Felice hæc allegat: *Ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt; quibus rogationibus patricii ante non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator eam legem tulit, ut eo iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Vide plura *l. II. §. 8. ff. de O. I. et legis;* vbi occasio plebiscitorum explicatur, et legis hortensia simul fit mentio, et causa, cur tradita sit, adiicitur hisce verbis: *Quia multa discordia nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit et ea obseruari lege hortensia; et ita factum est, ut inter plebiscita et legem species constituendi interessent, potestas autem eadem esset.* Hinc vis obligandi vniuersum populum etiam plebiscitis data. Quod vero ante legem hortensiam plebiscita patricios non obligarent, nec pro lege haberentur: hoc exinde fuit, quia insciente aut inuito senatu fuerant facta. Ad legem autem propriam requirebatur, ut, quamlibet a tribuno, plebeio magistratu, rogata esset: senatui tamen etiam, antequam confirmaretur, ad consentiendum proponi et exhiberi deberet.

§. 5. *Populiscitum* in se plus est, quam plebiscitum: et vix differt a lege propria, quia populus omnes tres ordines comprehendit. Plebs autem ordo vnus est: saltem senatorium excludit. Gell. *l. xx. c. 10.*

§. 6. *Rogationes* sæpe pro legibus ponuntur apud



pud Ciceronem et Gellium *l. x. c. 20.* Ratio hæc est, quia olim leges magistratu rogante ferebantur: an plebs aut populus velit, iubeat, hoc vel illud ita fieri. Causa erat, quia in libera republica summa potestas magis apud populum, quam apud senatum fuit. Postea autem sub Cæsaribus mutata legum consuetudo, principibus summam potestatem a populo ad se reuocantibus. Hinc pleræque leges in digestis et in codice ab imperatoribus dicuntur latæ sine mentione populi, cuius iam potestas exspirauerat.

§. 7. Ceterum quoniam de legibus agere cœpimus: non alienum a re erit, historiam etiam atque rationem legum in libera re publica aut non longe post mutatā eandem latarum paucis explicare. Regum enim leges erant imperfectæ; ideoque senatus Solonis leges petiit ab Atheniensibus, quæ ad statum romanum reformatæ a decemuiris x tabulis conscribebantur pro numero decemuirorum. Sequenti anno, quæ deesse videbantur, suppleta sunt tabulis duabus, ut xii fierent: qui fons est iuris romani, quo hodieque utimur; quamquam earum sola fragmenta supersunt. Vide Liuium *l. iii. c. 34.*

§. 8. Crescente republica crescebant etiam delicta et quæstiones: inde nouæ leges latæ, quia ex xii tabulis non omnes casus poterant diiudicare. Ex his potissimum eas, saltem præcipuas earum memoramus, quæ apud Ciceronem occurrunt: quasdam etiam ex digestis siue

pan-



pandectis adiicimus. Pleræque autem ab auctoribus denominantur: nonnullæ etiam a materia.

§ 9. Ab auctore nomen habent apud Ciceronem LEX *acilia*, repetundarum: *abulia*, de curatione et potestate mandanda: *alia et fusia*, de iure comitorum: *emilia*, sumtuaria: *appuleia*, de coloniis, de maiestate; et alia eiusdem frumentaria: *aurelia*, iudiciaria: *cacilia didia*, de legibus ferendis: *calpurnia*, de ambitu; et alia repetundarum: *casfia*, agraria, de damnatis; et alia tabellaria de iudiciis: *cincia*, de donis et muneribus: *clodia*, frumentaria: *cælia*, de suffragiis: *cornelia* plures, testamentaria nummaria, de infamia, de legatis prouincialium magistratuum, de magistratibus, de maiestate, de municipiis, de proscriptione, de prouinciarum rectoribus: *curia*, de auctoritate patrum: *domitia*, de sacerdotiis: *fabia*, de numero sectatorum: *flaminia*, agraria: *flauia*, agraria: *furia*, de testamentis: *gabinia*, de legatis: *gellia cornelia*, de ciuibus: *hirtia*, de Pompeianis: *iulia*, de legationibus liberis, de prouinciis, de repetundis pecuniis, de sacerdotiis: *iunia*, de peregrinis vrbe eiciendis: *leto-ria*, de tutelis: *licinia*, de curatione et potestate mandanda, de sacerdotum electione, de fodalitiis: *licinia mucia*, de ciuibus regundis: *manilia*, de magistratibus: *manilia*, de libertinorum suffragiis: *maria*, de nummis, de suffragiis: *o-  
Savia*, frumentaria: *papie*, de ciuitate, de peregris



regrinis: *papia*, de consecratione, et alia tabellaria de legibus: *plotia*, de vi: *pompeia*, de ambitu, de iudicibus: *porcia* pro tergo et vita ciuium: *pupia*, de fenatu comitialibus diebus non habendo: *remmia*, de calumniatoribus: *roschia*, theatralis: *rupilia*, de iudicibus fortitodandis: *scantinia*, contra impudicos: *sempromia*, agraria, frumentaria, de capite ciuium romanorum, de prouinciis: *seruilia*, de ciuitate, de iudicibus, de repetundis: *terentia cassia*, frumentaria: *thoria*, de vectigalibus: *tullia*, de ambitu: *valeria*, de tyrannide Sullæ: *varia*, de maiestate: *vatinia*, de alternis consiliis, de prouinciis: *voconia*, de hereditatibus feminarum: et aliæ plures.

§. 10. In pandectis memorantur *aquilia*, de damno iniuriæ: *atinia*, de vfucapione: *cornelia*, de falso, de iniuriis, de lusu, de ficariis et veneficis: *fabia*, de plagiariis: *falcidia*, testamentaria: *glicia*, de inofficioso testamento: *bortensia*, de plebiscitis: *iulia*, de ambitu, de annonæ, de maritandis ordinibus, de peculatu, de repetundis, de residuis, de vi priuata, de vi publica: *iunia vellea*, de testamentis: *papia poppea*, de connubiis: *petronia*, de seruis: *pompeia*, de parricidis: *plautia*, de vi: *scribonia* de de lusitanis: et aliæ.

§. 11. Quædam leges, quamuis auctores non ignoti essent, a materia denominabantur. Tales sunt LEGES agrariae multæ, de agris populi diuidendis; quæ sæpe causæ tumultus exstiterunt:

F

runt:

runt: *annales* siue annariae, quae magistratui certam aetatem praescribent: *frumentaria* variorum: *sumtuaria*, quibus luxuria conuiuiorum prohibebatur: *tabellariae*, de dicendis sententiis et suffragiis ferendis per tabellas: *vicefimarum*, de vectigali vicefimae: et similes.

§. 12. Posteriorum Caesarum leges ex digestis, codice et nouellis notae sunt. De *edicto praetoris* tantum pauca hic adiungimus. Qui enim iudiciis ordinariis in foro habitis praerat praetor urbanus: sub initium muneris sui in albo scripta edicta proponebat supplendi iuris civilis causa, secundum quae ius per annum suum dicturus esset. Addebat etiam certas formulas, quibus diebus et qua ratione ac modo, a partibus etiam obseruando, id esset facturus. Hinc, quidquid iussit praetor, *edictum* postea vocabatur: et frequens in iure vox est, *praetor edicit*. Si praetor edictum antecessoris retinebat, vocabatur *edictum tralatitium*. Tandem Hadriani tempore Saluius Iulianus iureconsultus composuit *edictum perpetuum*: quod praetores obseruarent, nec mutarent edicta annis singulis. Huius fragmenta satis copiosa supersunt, a diuersis edita: ex quibus intelligimus, qualia fuerint edicta praetorum. De auctore huius edicti vide Eutropium l. VIII. c. 9.



## CAPVT VII

DE

ORDINIBVS ROMA-  
NORVM

eiusque

## SECTIO I

DE

## ORDINE SENATORIO.

§. I.

**P**opulus romanus in tres ordines (Stände nostrates vocant) fuit diuisus: senatorium, equestrem et plebeium. De singulis nunc breuiter exponemus.

§. 2. Senatus dictus est a senibus, qui soli ob senilem prudentiam in eum legebantur: inde etiam *patres* appellati, et in adlocutionibus *patres conscripti*. Sallust. *de b. cat. c. 6.* et Flor. *l. I. c. 1. n. 1.*

§. 3. Origo ab Romulo est, qui centum senes consultationum adiutores legit. Liu. *l. 1. c. 8.*

Tarquinius Priscus addidit alios centum: quia ciuitas nunc auctior erat; et plures, qui dignitatem illam rueri possent. Nihilominus hi posteriores minorum gentium sunt appellati. Liu. *l. 1. c. 35.* Pulsis regibus primi consules, ut interfectorum a Tarquinio Superbo numerum supplerent simulque augerent ordinem,

F 2

tre-

trecentorum senatum fecerunt : teste Liuius *l. II. c. 1.* Sic Latini tradiderunt. Dionysius Halicarnassensis *l. II. p. 85 et III* Romulum bis legisse centum senatores refert, quem clari quidem viri sequuntur : quod autem in tanto Latinorum silentio non est admittendum.

§. 4. Trecentorum numerus mansit vsque ad Sullæ tempora. Et licet non constet, quantum numerum fecerit : probabile tamen est, supra quadringentos fuisse; quod ita ad Ciceronis tempora seruatum fuit, vt ex *l. I. ad Att. ep. 14* colligitur. Iulius Cæsar nimium auxit numerum : et quidem ad nongentos vsque, vt Dio Cassius *l. XLIII. p. 237* refert ; vel ad milenos, vt Suetonius habet in *Augusto c. 35.* In quibus quod multi indignissimi essent (nam peregrinos etiam ex Gallia et aliunde in curiam introduxerat) : Augustus ad pristinum numerum et splendorem, qui ante ciuile bellum fuerat, redegit; aut paullo maiorem esse permisit, vt tamen numerus intra sexcentimum consisteret, Dio *l. LIV. p. 530.* Posteriores Cæsares auxerunt aliquando : vt tamen non facile plures, quam sexcenti senatores essent.

§. 5. Legebantur senatores ordinario modo a censoribus ex ordine equestri, vnde primi consules supplementum fecerunt apud Liuium *l. II. c. 1.* cui adde *l. IX. c. 29. et l. XXIII. c. 23.* Nec vero plebeiis senatus omnino clausus erat: quod infra de consulibus plebeiis et tribunis in plebeio ordine ostendemus.

§. 6.



§. 6. In prima republica non censu, sed morum integritate fiebant senatores: vnde de Valerio Publicola, primi post eiectos reges anni consule, annales tradunt, adeo pauperem mortuum esse, vt collatis a populo nummis sumtum habuerit sepulturæ. Vid. Eutrop. l. i. c. 10. n. 4. Postea dignitatis seruandæ causâ senatoribus etiam census fuit definitus: vt, qui infra illum possideret, non posset senator fieri. Census erat duplo maior, quam equestris ordinis, quem Augustus Cæsar auxerat. Suetonius in Augusto c. 41 hoc docet. *Senatorum, inquit, censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertium taxauit, suppleuitque non habentibus.* Supputandi hanc rationem infra de re nummaria Romanorum explicabimus. Vide interim, quæ ad Plinii l. i. ep. 19. n. 2 notauimus.

§. 7. Senatores ab equitibus et plebeis etiam vestitu distincti erant. Ille tunica erat laticlauia seu latus clauus. Vnde latum clauum accipere est senatorem fieri. Sic Tiberius senatori latum clauum ademisse dicitur apud Suet. c. 35, hoc est, ex senatu mouisse. Plinius l. 35. c. 1 sic ordines distinguit. *Annuli, inquit, distinxerunt alterum ordinem a plebe: sicut tunica ab annulis senatum tantum.*

§. 8. Senatorum erat *sententias dicere*, quæ barbare *vota* appellant: sicut populi in comitiis *ferre suffragia*. Nec vero omnes rogabantur, sed tantum principes: hoc est, si sub finem



anni erat, consules designati; deinde aut his nondum designatis princeps senatus a censoribus lectus; porro qui in magistratu erant, quemadmodum in catilinaria causa Cicero consul post Silanum designatum consulem rogauit Iulium Cæsarem tum prætorem. Liu. l. xxxvi. c. 3. et Sallust. de b. c. c. 50. seq. Tribuni poterant etiam non rogati interloqui, suamque dicere sententiam. Cæs. de b. c. l. i. c. 2. n. 8.

§. 9. Arbitrii ergo erat consulis, præter primos rogare, quos vellet: nec in primis semper ordinem, nisi in designato consule, seruasse strictum videtur. Vnde Suetonius in Cæsare c. 21. refert, quem ordinem calendis ianuariis tenuisset, eum per totum annum seruasse. Rogabat autem sententias consul, tamquam director senatus: nec vero multos rogabat, sed postquam duæ vel tres dictæ fuerant, reliqui senatores discessione facta ad hunc vel illum, qui dixerat sententiam, se conferebant, accessu suo illam confirmantes. Hinc est nota formula, *ire in sententiam alicuius*: apud Liu. l. i. c. 32. l. v. c. 29. Cic. l. i. ep. 2. n. 4. atque alios. Vnde minoris ordinis senatores, qui numquam dicebant sententiam, sed sententiæ alterius accedebant, dicti fuere *pedarii*: vt est apud Gellium l. i. i. c. 18. Quod vocabulum aliquid ignominie videtur habere: res ipsa vero, *ire in sententiam alterius*, per se non erat ignominiosa; sed recepta in plerisque faciendis senatus



tus consultis, quæ per discessionem fiebant, de quibus supra dictum *c. vi. f. 1v. §. 3. p. 77.*

§. 10. A senatus consulto autem differebat *senatus auctoritas*. Quum enim infrequentior iusto senatus esset, aut tribuni plebis intercessissent: senatus consultum non poterat fieri; sed senatus auctoritas tantum perscribi solebat et de ea ad senatum populumque referri. Cic. *l. I. ep. 2. n. 11. ep. 7. n. 8. et l. VIII. ep. 8. n. 12. 17. 20. 23.*

§. 11. Qui consultabant et sententiam dicebant senatores, proprio verbo *consensere* dicebantur. Plin. *l. II. ep. 11. n. 21. l. V. ep. 14. n. 6.* Suet. *in Cal. c. 59. et Claud. c. 6.* In decretis faciendis dicebant: *Placet aut non placet*, scilicet senatui. Liu. *l. XXIII. c. 25.* et Suet. *de cl. rhet. c. 1.*

§. 12. *Curia* vocabatur vulgo locus senatus habendi: et memorabilis *curia hostilia* sub regibus. Cic. *de fin. l. I. c. 5.* Qua incendio deleta, Sulla eodem loco instaurare illam et post eum etiam Cæsar voluit: sed fato præuerti idopus reliquerunt Augusto, qui *iuliam* nominauit. Dio *l. XL. p. 143. 144. l. XLIV. p. 242. l. XLVII. p. 338.* et Suet. *in Cal. c. 59.* Laudatur etiam Pompeii *curia*, in qua Iulius Cæsar fuit interfectus. Suet. *in Cæs. c. 80 et 88.* et Cic. *de diu. l. II. c. 9.* Quod vero *hostilia* angustior esset, quam ut caperet omnem senatum: in sacris ædibus seu templis senatus sæpissime congregatus fuit. Sic Cicero in *templo Iouis statoris* senatum habuit, quum in Catilinam inueheretur: et in *æde Concordia*, quum coniurati examinarentur.

Vide *orat. cat. I. c. 13. orat. II. c. 6. et orat. III. c. 9.*  
 Hæc templa curiæ etiam nonnumquam dicta.  
 Vide Lampridium in *Alexandro c. 6:* vbi ædem  
 Concordiæ vocat curiam.

## SECTIO II

## DE ORDINE EQVESTRI.

## §. I.

**E**quites medius ordo erant populi romani  
 inter senatum et plebem: nec tantum mi-  
 litia id nomen est, verum etiam dignita-  
 tis; et altera significatio ex priori manat, quia  
 olim non nisi digniores illi et splendidiores,  
 e quibus senatus legebatur, equo militabant.  
 Supra enim diximus de militia romana, pau-  
 cos in legione fuisse equites: quod non tan-  
 tum propter nobilitatem illorum factum, ve-  
 rum etiam propter paucitatem equorum in I-  
 talia; vbi ager bobus exercebatur, vt hodie-  
 que; onera asinis et mulis portabantur, muli  
 etiam iungebantur carpentis, lecticæ fereban-  
 tur a seruis; atque ita rarior vsus equorum  
 erat.

§. 2. Signa equitum erant *annulus et angustus  
 clauus.* Vtroque distinguebantur a plebeis:  
 altero etiam a senatoribus. *Plin. l. xxxiii. c. 1.*  
 Non licebat enim plebeis gestare annulum;  
 sed equitibus tantum et senatoribus; a quibus  
 equites tunica tantum distinguebantur, quæ  
 sena-



senatoribus erat lati clavi, equitibus angusti. De utraque tunica autem plura dicemus infra, quum de re vestiaria agendum erit.

§. 3. Præter ea aliud ornamentum erat equitum lege roscia concessum, quæ etiam lex theatralis dicitur a Plinio *l. VII. c. 30*: qua cautum fuit, ne quis in theatris aut amphitheatro in quatuordecim primis gradibus sederet, nisi censum possidens equestrem. Hinc *in XIV sedere* est idem, quod equitem romanum esse. Suet. *in Cas. c. 39. Aug. c. 40. et Sen. ep. 44.* Census autem equester erant quadringenta sestertia, ut clare definitum est a Plinio *l. I. ep. 19. n. 2. et Horatio l. I. ep. 1. v. 57.*

§. 4. Equites romani non tantum equitibus nascebantur: verum etiam senatorum filii, antequam in senatum legerentur, equites fuerunt vocati. Clarum exemplum præbet Pompeius apud Ciceronem *pro l. man. c. 21*: cuius ætas quum longe abesset a gradu senatorio; res tamen maximas gesit, et triumphum meruit. De quo Cicero: *Quid tam inauditum, quam equitem romanum triumphare?* Et paullo post: *Quid tam incredibile, quam ut iterum eques romanus ex senatus consulto triumpharet?* Pompeius autem natus erat patre patricio et consulari.

§. 5. Diuisi equites erant in *urbanos* et *rusticanos*. Illi domicilium Romæ habebant, et ex iis præcipue legebantur senatores. *Rusticani* non tantum rure degebant, verum etiam in

municipiis rusticanis. Cicero *pro Roscio amer. c. 15.* *Quid hoc, inquit? Patres familias, qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis (equestris) ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime seruire et in praediis colendis opera plurimum studiique consumere?*

§. 6. Inter studia equestris ordinis, tam illorum, qui in vrbe viuebant, quam qui in agris et municipiis, erat praecipue etiam conductio vectigalium populi romani, id est, reddituum ex prouinciis. Inde ordo publicanorum in equestri ordine fere continebatur. Cicero *pro Planco c. 9:* *Flos equitum romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reipublicae, publicanorum ordine continetur.* Idem *pro l. man. c. 2:* *Equitibus romanis honestissimis viris adferuntur ex Asia quotidie litterae, quorum magna res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupata.* Vide plura in illa oratione.

### SECTIO III

## DE ORDINE PLEBEIO.

### §. I.

**P**lebs tertia pars populi romani proprie loquendo: quamquam abusiue *populus* ipsi plebei dicuntur. Sic apud Suetonium *c. 101* de Augusti testamento: *Legauit populo romano, cetera.* Et apud Martialem *l. VII. epig. 15. v. 3:*

*Dat populus, dat gratus, eques, dat tura senatus.*

§. 2.



§. 2. Plebeni initio durius habiti a patriciis, secessionēs fecerunt: quarum notabilis erat illa ad montem sacrum trans Anienen amnem; quia prius reuocari haud potuerunt in urbem, quam magistratu sui ordinis impetrato, qui plebis causam contra senatum tueretur. Hi tribuni plebis sunt vocati, de quibus supra egimus. Vide Liu. l. II. c. 32.

§. 3. Ingens sic ius adepti plebeii: sed his contenti non erant, nisi etiam maiora impetrarent. Impetrauerunt connubii communionem lege canuleia. Liu. l. IV. c. 1 et 5. Impetrauerunt etiam ius consulatum petendi. Liu. l. VI. c. 42. et l. VII. c. 1. Etiam ad sacerdotia, id est, auguratum et pontificatum impetratus aditus. Liu. l. X. c. 6. Magnum etiam ius et dignitas erat, quod plebiscita legibus proprie dictis et senatus decretis lege hortensia sunt æquiparata: de quibus supra c. 6. f. 4. n. 4 diximus. Accesit, quod summum est, prouocatio ad populum contra senatum aut maiores magistratus: vbi populi nomine potissimum plebs significatur, equestri tamen ordine non excluso. Vide exemplum apud Liu. l. II. c. 56. seq. Impetratum etiam, vt Lilius eodem libro c. 56 et 58 habet, vt tributis comitiis, id est, sine patribus, tribuni plebis crearentur.

§. 4. Non ergo plebeius ordo tantum viles homines aut opifices continebat, sed magnos quoque et præstantes viros: cuius ordinis duo erant summa præsidia, prouocatio ad populum

et

et tribunatus plebis, quem etiam imperatores seu Cæsares omnes propter summam potestatem in se re ceperunt.

## CAPVT VIII

DE

## COMITIIS

eiusque

## SECTIO I

DE

DISTRIBVTIONE POPVLI  
COMITIA HABENTIS.

## §. I.

**R**omanus populus varie distributus fuit, præcipue a Seruio Tullio, sexto rege: quamuis Romulus etiam, etsi ruditer, in hac parte egisset. Huic enim tribuunt tribus et curias in populo institutas: classes autem et centurias Seruio. Liuius *l. i. c. 43* videtur vtrumque dare Seruio, Romulo nihil aut parum. Sed forsan ordinatius Seruius fecit, quod ruditer Romulus instituerat. Nam ipse Liuius *l. iv. c. 4* Seruio tantum tribuit descriptionem centuriarum clasiumque.

§. 2. Hæc distributio licet ob alias etiam causas facta esset: præcipuus tamen illius usus fuit in suffragiis ferendis. Non enim viritum et promiscue omnibus datum est suffragium;



gium; neque enim hoc per multitudinem fieri potuit: sed gradus facti, ita tamen, vt nemo exclusus videretur, qui in certa tribu, curia vel centuria erat. Hinc comitia, qui conuentus populi suffragiorum ferendorum causa erant instituti, diuisa erant in *curiata, tribusa et centuriata*. Prius ergo vocabula explicabimus, quam de ipsis agamus comitiis.

§. 3. Romulus apud Dion. Halic. l. i. p. 82 in tribus tres et curias triginta diuisisse populum dicitur. Seruius autem Tullius non tantum tribus auxit: sed clases quoque addidit census agendi causa, et centurias. Primo enim urbem in quatuor tribus seu partes diuisit: easque non ab auctore vel gentis origine, vt Romulus; sed a locis, vbi habitabant, appellauit *suburanam, esquilinam, collinam* atque *palatinam*. Dion. Hal. l. i. p. 203. l. iv. p. 219. Liu. l. i. c. 36 et 43. Atque hæ quatuor *urbane* dictæ sunt. Deinde sex populi clases constituit, censu et possessionibus distinctas. In prima classe erant ditissimi, absolute *classici* dicti; a quo ritu etiam scriptores *classicos* nominarunt præstantissimos, vt Gellius l. vii. c. 13. et l. xix. c. 8 docet: in sexta tenuissimi. Porro clases singulas distribuit in suas centurias: ita quidem, vt primæ classi adnumeratis equitibus darentur centuriæ *xcviii*, secundæ *xxii*, tertiæ *xx*, quartæ *xxii*, quintæ *xxx*; sexta autem, quamquam numero superiores vinceret, pro vna centuria censeretur atque sic omnium clas-

um



um essent centuriæ cxciii. Liu. l. I. c. 43. et Dion. Hal. iv. p. 221. seq. et l. vii. p. 464.

§. 4. *Curie*, ut dictum, erant xxx: earumque numerus numquam auctus est, licet tribus deinde multiplicarentur. Dion. Hal. l. v. p. 281. et Cic. *pro domo* c. 29. Diuidebantur rursus in *decurias*: unde etiam præfecti curiarum *curiones*, et decuriarum *decuriones* appellati sunt. Dion. Hal. l. II. p. 82.

§. 5. *Tribuum* ratio certior erat et constantior: earumque numerus pro tempore auctus, ut tandem fierent triginta quinque. Diuisæ erant in urbanas et rusticas: quarum dignitas mutata fuit successu temporis, ut nobilissimus quisque in rustica maluerit, quam urbana scribi; quia quatuor illæ urbanæ libertinis et nouis ciuibus tantum relinquebantur. Dion. Hal. l. iv. p. 220. Liu. l. xxxiii. c. 10. Cic. *Verr.* III. c. 5. Plin. l. xviii. c. 3.

§. 6. Nomina tribuum hinc inde ex scriptoribus aut inscriptionibus collegit Carolus Sigonius *de iure ciuium romanorum* l. I. c. 3. Vnum addimus, potuisse aliquem in duplici tribu esse, pro utroque parentum naturæ et adoptionis genere. Sic Suetonius *de Augusto* c. 40 scripsit: *Fabianis et scaptiensibus, tribulibus suis, die comitorum singula millia nummum a se diuidebat.* In duabus ergo tribubus Augustus fuit, fabia et scaptia, ut Torrentius interpretatur et commentatur: scaptia Iuliorum, per adoptionem; fabia Octauiorum, per naturam. Quo pertinet inscriptio Brixienfis lapidis apud Gruterum p. 626. 226.

C. IVLIO C. F. FAB. SCAPT. CAESARI AVGVSTO.

SECTIO



## SECTIO II

DE VARIIS COMITIORVM  
GENERIBVS.

## §. I.

**C**omitia, vti diximus, erant vel *curiata* vel *tributa* vel *centuriata*: prout populus vel per curias vel tribus vel centurias suffragia ferebat.

§ 2. *Curjata* comitia, a Romulo instituta, sensim interierunt; saltem negligentius habita sunt, sicuti ipsæ curiæ: quemadmodum ex Dion. Hal. l. IV. p. 224. l. V. p. 281. l. IX. p. 598 et 603. et Cic. contra Rullum c. II cognoscimus.

§ 3. *Tributa* comitia verius erant plebis concilia: quia submotis patribus seu senatu agebantur. Liu. l. III. c. 60. et Dion. Hal. l. XI. p. 726. Deinde ad iudicia translata: et de multis causis-que aliis leuioribus ibidem actum, etiam de exilio absentium. Dion. Hal. l. VII. p. 463. seq. et l. IX. p. 585. Adde Sigonium de iudiciis l. III. c. 5 et 14.

§ 4. *Centuriata* comitia erant Romæ nobilissima et præcipua, quibus per classem centurias suffragia ferebantur. Atque in his patricii superabant plebeios. Dion. Hal. l. VIII. p. 549. et l. XI. p. 726. In his etiam magistratus maiores creati sunt, consules, prætores, censores, et interdum quoque proconsules: vnde etiam comitia *consularia*, *prætoria*, et simili modo a magistratu, qui tum creabatur, appellata sunt. Liu. l. I. c. 60. l. V. c. 52.

c. 52. l. x. c. 22. l. xxvi. c. 18. Gell. l. xiii. c. 14. et Cic. ad Att. l. iv. ep. 2.

§. 5. Memorantur etiam *calata* comitia: quæ vero, ut Gellius l. xv. c. 27 interpretatur, ipsæ erant curiata et centuriata; neque adeo diuersum comitorum genus faciebant. Calata enim sunt conuocata, a καλώ, id est, voco, conuoco: vnde et calendæ dictæ sunt. Rarum nomen in antiquitate: ut mireris, qui factum sit, ut Iustinianus *inst. l. ii. tit. 10 de testamentis* id nomen reduxerit.

### SECTIO III

## DE LOCO COMITIORVM.

### §. I.

**L**ocus comitorum priscis temporibus erat *comitium*, pars fori romani: a coeundo dictum, ut Plutarchus *in Romulo p. 30* tradit. Atque ibi comitia curiata olim habita sunt. Varro l. iv. de l. l. Idem locus postea suppliciiis destinatus fuit: ibique virgis cæsi, uti apud Liuium l. xxii. c. 57. et Plin. l. iv. ep. ii. n. 10 legimus; et damnatorum libri exusti, cuius exemplum habet Tacitus *in Agricola c. 2. n. 1.*

§. 2. Crescente populo amplior locus quæsitus comitiis, præsertim centuriatis, fuit: *campus martius*, inter urbem et Tiberim situs; qui sæpe etiam absolute campus dicitur. Dion. Hal. l. iv. p. 276. Gell. l. xv. c. 27. Cic. *cat. i. c. 5. cat. ii. c. 1, et l. vii. ep. 30. n. 3.* Pars campi, qua digniores



res constituti erant, *septa* dicta: quæ distinguebant a promiscua turba et quorum sæpe fit mentio apud scriptores. Vid. Cic. *pro Mil. c. 15.* Sen. *de ira l. II. c. 7.* et Aufon. *in gratiarum actione ad Gratianum c. 5. n. 2.*

§. 3. Neque vero magistratus tantum creabantur in campo: verum alia etiam ibi acta sunt cum populo negotia, item iudicia certa et similia ad rem publicam pertinentia. Liu. *l. xxxi. c. 6. l. iv. c. 23. l. vi. c. 20.* et Cic. *pro domo c. 30 et 32.*

## CAPVT IX

DE

STATV HOMINVM  
DIVERSO APVD ROMA-  
NOS

eiusque

## SECTIO I

DE

## STATV LIBERORVM.

§. I.

**S**Tatum hominum iure consulti vocant, quando homines iure ciuili et gentium in liberos et seruos diuiduntur. Liberi autem vel ingenui sunt, vel libertini. Vide de his et quæ sequuntur ff. *tot. tit. de statu hominum*; et instit. *l. 1. de iure personarum, de ingenuis, de libertinis.*

§. 2. *Ingenui sunt liberis nati parentibus*: et  
hi

G

hi tam libertis et libertinis certo respectu, quam in totum seruis opponuntur.

§. 3. *Liberti* sunt e seruitute manumissi. Manumissione autem, vt in §. 3. *inst. de libertinis* est, modo maiorem et iustam libertatem adsequabantur, fiebantque ciues romani; modo minorem, vt tantum latini iuris essent: infimæ autem conditionis erant, qui *dediticii* dicebantur. Cessarunt deinde pedetentim posteriores ordines: et primus, qui libertatem dabat et ciuitatem romanam, maxime frequentabatur. Ad hanc autem peruenire non poterant: nisi publica auctoritate vel prætoris in vrbe, vel proprætoris aut proconsulis extra vrbem. Atque hæc dicebatur *manumissio per vindictam*, hoc est, virgam: quam magistratus capiti eius, qui manumittebatur, inferebat. Ceteri ordines libertorum inter amicos manumitti poterant, eoque peruenire ad ius latinum aut conditionem dediticiorum. Vide de hac re, quæ notauimus ad Plin. l. vii, ep. 16.

n. 4.

§. 4. *Libertini* sunt libertorum filii. Atque olim sic distinguebantur: vt libertus esset, qui seruierat, post manumissus; libertini autem a libertis geniti. Suet. in *Claudio* c. 24. Postea autem Cæsarum temporibus sæpe et plerumque in iure romano, qui liberti dicendi essent, etiam vocantur libertini. Sic Suet. in *August.* c. 25 libertinos milites vocat, qui erant ex seruis facti liberti siue manumissi.

§. 5.



§. 5. Libertas autem a seruis impetrabatur propter merita et fidelem seruitutem. Vt vero in aliis rebus omnibus accedit abusus: ita in hac causa etiam factum saepe, vt serui pecunia vndecumque collecta libertatem a domino redimerent, quamuis nullis insignes essent meritis; de quo conqueritur Dion. Hal. l. iv. p. 227. Quamuis autem plenam ciuitatem liberti adsecuti essent, magisque eorum filii: tamen aliquid intererat discriminis, vt hi non in rusticas tribus reciperentur, sed tantum in quatuor urbanas; nec in senatum legi poterant, nisi post aliquot generationes. Sic Suetonius de Claudio c. 24: *Latum clauum*, inquit, *quamuis initio adfirmasset non lecturum senatorem, nisi ciuis romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit; sed sub conditione, si prius ab equite romano adoptatus esset.* Quo in ipso tamen reprehenditur a Suetonio, quod male ad exemplum proauctoris Appii Claudii prouocarit. Nam etiam apud Liuum l. ix. c. 29 ille Appius reprehenditur, eiusque lectio in senatum vocatur infamis atque inuidiosa.

## SECTIO II DE STATV SERVORVM.

### §. I.

**S**erui a *seruando* dicti sunt: quia, quum bello capti essent, non occidebantur; sed viui seruabantur ad dura facienda opera. ff. d. l.



§. 2. Serui variæ conditionis erant, pro ingenio, moribus et arte distincti. Qui ingenio valebant et studiis erant eruditi: hos maxime Romani amabant, iisque utebantur anagnostis vel a bibliotheca (bibliothecariis); quales Ciceronis fuerunt Tiro et Dionysius fugitiuus. Vide Cic. *librum xvi epistolarum*: et *l.v. ep. 9. n. 6. et ep. 10. n. 1.* De artibus et opificiis seruorum lege Nepotem in *Attico c. 13. n. 3.* *Vsus est, inquit, familia (sic serui proprie vocabantur, tamquam famulitium) si utilitate iudicandum est, optima: si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri literatissimi, agnognostæ optimi, et plurimi librarii. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni.*

§. 3. Distincti igitur serui erant in *urbanos et rusticos*. In *urbanis* erant chirurgi, alyptæ, vinctores, symphoniaci, tibicines, supellecticarii, a bibliothecis, anteambulones, ostiarii, atrienfes, cubicularii, hortulani, ceteri. Et hi propter ingenium, mores et artes mitius tractabantur: et, quum seruiissent annos aliquot, manumittebantur tandem et liberti fiebant. *Rustici* serui operibus rusticis erant destinati. Atque ad hæc quidem adhibebantur ineptiores: et, si malitiosi simul essent et contumaces, vt hoc genus hominum plerumque erat ex barbaris nationibus captum vel emtum; in ergastula detrudebantur, vt compedibus vincti rus colerent. Vide de vtroque genere *singularem librum Laurentii Pignorii de seruis.*



§. 4.



§. 4. Ergastulum autem erat locus partim subterraneus, superiore tantum loco fenestris paruis quodam modo illuminatus, in quo nocturno tempore iacebant serui: quum diurno vincti laborassent ruri. Quindecim in vno ergastulo detinebantur, teste Appuleio *in apologia*. Ingens autem numerus talium ergastulorum in Italia fuit: etiam in Sicilia, vbi prædia erant Romanorum. Hinc seruilia bella orta, ergastulis effractis et dentis compedibus: de quibus legatur Florus *l. III. c. 19 et 20*. Hinc Floro ergastularii serui *catenati cultores* dicuntur *libro eodem c. 19. n. 3*: Lucano *vincti fossores l. VII. v. 402*: et ipsum ergastulum eidem Floro *l. IV. c. 8. n. 1*.

§. 5. Mitiores autem domini mitius etiam suos tractabant, nec constringebant compedibus. Plinius iunior huiusmodi erat, qui de se *l. III. ep. 19. n. 7* scripsit: *Nec ipse vsquam vinctos habeo, nec ibi (in villa, quam emurus erat) quisquam superest*. Idem *l. VIII. ep. 16*, qua de morbis et morte seruorum queritur *n. 1 et 2*. *Solatia duo*, inquit: *vnum facilitas manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam liberos perdidit); alterum, quum permitto seruis quasi testamenta facere, eaque, vt legitima, custodio. Mandant rogantque, quod visum: pareo ocyus. Suis diuidunt, donant, relinquunt: dumtaxat intra domum. Nam seruis respublica quedam et quasi ciuitas domus est.*

§. 6. Sæuitiæ genus in seruos erat etiam iniustio litterarum in fronte (vnde per iocum

hos seruos Plautus *litteratos* vocabat *Caf. a. 2. sc. 6. v. 49*): vt, si fugerent, cognosci vbique et retrahi possent. Constantinus autem Magnus crudelem hunc morem lege lata sustulit, quæ est *l. II. cod. theod. de panis*: qua prohibetur, in facie serui vel damnati scribere, quia facies ad similitudinem pulchritudinis cælestis fit figurata.

## CAPVT X

DE

## STVDIIS ROMANORVM

eiusque

## SECTIO I

DE

## RATIONE ET ORDINE STVDIORVM APVD IPSOS ROMANOS.

## §. I.

**D**ignum et hoc argumentum est, vt cum cura pertractetur: quia ex studiis liberalibus magnitudinem suam Romani acceperunt, nec sine illis tantum imperium neque acquirere neque conseruare potuerunt. Ante bella punica non admodum colebantur: circa illa autem ingenia poetarum, historico-  
rum



rum et tandem etiam oratorum se protulerunt. Gell. l. xvii. c. 21. Non historiam persequemur, sed romanorum adolescentum educationem.

§. 2. Romanis sic vsu receptum erat, vt studia litterarum cum armis coniungerent: a prima ætate in litteris instituti; a toga virili, quam plerumque decimo septimo ætatis anno accipiebant, exerciti etiam rebus bellicis, quamuis prona mente in pacis studia et civilem vitam inclinarent. Vnde si C. Marium excipias; nec vero hunc felicem reipublicæ, sed ingentium malorum auctorem: vix quemquam illustrium Romanorum reperias, quin aut vtraque vel alterutra arte excelleret, neutrius saltem rudis esset.

§. 3. Pueritia exigebatur græcis litteris: quæ apud ipsos erant, quod nobis sunt latinæ, custodes et magistræ omnis melioris doctrinæ ac eruditionis. Cic. de offic. l. i. c. 1. in Bruto c. 90. et Suet. de cl. rhet. c. 1 et 2. Hac lingua philosophiam ac rhetoricam discebant: hac declamabant, antequam latino se rhetori traderent. Felici consilio: quia experientia comprobatum fuit, qui patrium sermonem prius excolerint, quam latinum, qui apud nos in græci locum succesit, numquam ad veram et solidam eruditionem adspirare potuisse.

§. 4. Præcipuum illorum studium erat eloquentia: ad quam cetera dirigebantur, quia in curia, apud populum et in foro ad iudices o-



omnia agebantur latinis orationibus. Cic. *de cl. orat. c. 41*. Huic vero discendæ græcis litteris, etiam philosophia et iurisprudentia opus erat. Græcam linguam vt probe addicerent, sæpe adhuc paruuli in Græciam aut græcam coloniam mittebantur: vt sermonem vna cum disciplinis arriperent. Maxime legebant historicos græcos propter multiplicem vsum: quia et res et exempla et varios casus inde cognoscerent, quibus opus est in eloquentia.

§. 5. In his vrbibus erant Athenæ, Apollonia ad mare, Rhodus, Mitylene et aliæ in Asia, quas Cicero memorat *de cl. or. c. 91 et 92, l. iv. ep. 7. n. 9. l. vii. ep. 3. n. 18. Vell. l. ii. c. 59. n. 4.* et Suet. *in Aug. c. 8*: quibus Masilia Galliæ, Phocæensium græcorum colonia, accessit, quo multi libentius filios, quam Athenas, miserunt; cuius rei causam Tacitus *in Agricola c. 4. n. 4* tradit, vbi locum appellat hanc vrbem græca comitate et prouinciali parsimonia mistum ac bene compositum.

§. 6. Exemplum eloquentiæ discendæ sub rhetore quodam latino præbet Plinius *l. iii. ep. 3*: quæ digna est, vt legatur; quia scholam eiusmodi poscit, eumque præceptorem, a quo mores primum, mox eloquentiam adolentes discant. Adde *l. vi. ep. 11. n. 3*: vbi dicit, nihil publice lætius esse, quam nobiles iuuenes nomen et famam ex studiis petere; quod ibidem ad eloquentiam est accommodatum.

§. 7.



§. 7. Post annum virilis togæ, qui fere septimus decimus ætatis erat, in bellum mittebantur Romanorum filii, etiam illi, quibus animus non esset ad militiæ dignitates enitendi: vt vsum rei militaris oculis cernerent, ne postea proconsules aut proprætores militibus contemptui essent, si numquam castra vidissent; vt adeo inter Romanos nemo fuerit nobilior, qui non æque armis, quam litterarum studiis esset exercitus. Nec studia in castris quiescebant: sed commendati claro alicui duci exemplo discabant et contubernio, quam bene armis cum litterarum conueniret studiis. Nam studia et duces, quod de Cæsare constat: etiam minores, tribuni et centuriones, inter arma quoque proferebantur. Vell *l. I. c. 13. n. 3.* Suet. in *Cæs. c. 56.* *Aug. c. 84.* et Plin. *l. I. ep. 10. n. 2. et l. III. ep. 11. n. 5.*

§. 8. Domum regressi ex militia, quibus animus non erat illam persequi, eloquentiæ latinæ se magis, quam antea; mox reipublicæ dabant, et honoribus petendis: vbi a quæstura ad summum gradum consulatus progressu temporis contendebatur. Vid. Plin. *l. II. ep. 14. n. 3. et l. VI. ep. 23.*

## SECTIO II DE STVDIIS PROVINCIALIVM.

### §. I.

**N**on minus in prouinciis romana studia sunt exulta: quod scirent Romani, sine illis

lis ægre prouinciam seruari posse. Sic in Hispania, Gallia, Britannia vt colonias romanas bene multas acceperunt: ita etiam scholas et officinas litterarum. Hoc curæ fuit Sertorio, vt Oscæ scholam pro Hispanorum filiis institueret, qua græcis et latinis litteris erudirentur: quum in Romanos Hispaniam concitaret armarique. Plut. *in Sert. p. 575.* Fuerunt in eadem natione Corduba, Italica, Bilbilis et, quæ ab Augusto nomen trahebant, claræ omnes litterarum studii. In Gallia Durocortorum Remorum, Augustodunum Aeduorum, item Lugdunum, Vitontio et Burdegala erant florentissimæ mularum sedes: quod ex Eumenii *pan. c. 2. 6. 11. 15.* et Aufonio *de professoribus* aliisque constat.

§. 2. Ceterarum prouinciarum status intelligi potest et suppleri maxime ex britannico. De qua gente Tacitus *in Agric. c. 21. n. 2:* *Iam vero, inquit, principum filios liberalibus artibus erudire et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre* (cœperunt): *vt, qui modo linguam romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent.* Similia de Hispanis tradit Strabo *l. 111. p. 151.* Sic factum, vt, quum principum filii in prouinciis imbuti essent romanis studiis moribusque: nollent ad pristinum squalorem relabi; sed Romanis potius parere, qui æquum et iustum imperium præ se ferebant, quam barbara et auita vti libertate mallent.

§. 3. Atque ex hac prouincialium scholarum consuetudine est illud, quod supra diximus:  
plus



plus Romanos litteris ad conferuandum imperium vfos esse, quam armis et legionibus.

## CAPVT XI

DE

## LVDIS ROMANORVM

eiusque

## SECTIO I

DE LVADORVM DIVISIONE  
GENERALI.

## §. I.

**M**agna pars antiquitatum romanarum occupatur ludis et spectaculis. *Ludi* erant festi dies, quibus spectacula populo edebantur: vnde etiam ipsa *spectacula* ludi dicta sunt. Atque his romanus populus non modo maxime delectabatur: sed et alia causa suberat, quod deos placari ludis putabant. Vid. Cic. *cat.* III. c. 8.

§. 2. Ludi alii *publici* erant, qui maxima pompa pro salute ciuitatis aut ad demerendam populi gratiam instituebantur: alii *privati*, quibus priuatim et inter amicos erant dediti.

§. 3. De publicis hoc loco agendum est, quorum varia fuerunt genera. Nos præcipua tantum et ea seligemus, quæ ad intelligendos scriptores, qui in iuuenum manibus sunt, maxime facere videntur. Et tales quidem sunt, quos  
pro-

proprie *ludos romanos* vocabant et *circenses*: porro ludi *scenici*, *gladiatorii*, *venationum* et *naumachia*. Sit igitur

## SECTIO II

DE LVDIS ROMANIS SEV  
CIRCENSIBVS.

## §. I.

**L**Vdi romani erant antiquissimi: de quibus ad Eutrop. *l. i. c. 1* aliquid diximus. Sunt, qui ipsos *circenses* putant fuisse. *Circenses* ergo, ceteris antiquiores, vt *Liuius l. vii. c. 2* testatur, dicebantur a circo, qui maximus cognominatus est ad differentiam aliorum: in rotundo enim vrbs spatio curribus certabant, circa metam septies currendo ita, vt ad illum non offenderent. Vide interpretes ad *Horatii l. i. od. 1*.

§. 2. Numerus dierum incertus est. Ciceronis ætate quadriduum illis dabatur. *Philipp. II. c. 43*. Plures postea videntur adiecti: quia *Plinius l. ix. ep. 6. n. 1* omne hoc tempus dicit, quo sane plures dies significantur.

§. 3. Vanitatem circensium ex eadem *Plinii* epistola cognosces. *Miror*, inquit, *tot millia virorum tam pueriliter idemtidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traberentur; esset ratio nonnulla: nunc fauent panno; pannum amant.* Pannum dicit tunicam ex panno certi coloris factam, quo in quatuor factiones, qui



qui circensibus certabant, diuidebantur. Factiones a coloribus dictæ, *veneta*, *prasina*, *alba*, *rusata*: et secundum has etiam studia populi diuidebantur, et sæpe mordicus inter se de favore factionum decertabant. Exempla circensium sunt apud Suetonium *in Iulio* c. 39. *Calig.* c. 18. *et Ner.* c. 11. Factionum autem exempla apud eundem *in Domit.* c. 7. *Vitell.* c. 14. *Calig.* c. 55. *Plin.* l. VII. c. 53. *et l. VIII.* c. 42. *et in multis inscriptionibus.*

### SECTIO III DE LVDIS SCENICIS.

#### §. I.

**H**iludi sunt vel *comædia*, vel *tragedia*. A Græcis originem habebant, quorum noti sunt comici tragicique poetæ. Apud Romanos autem eo anno recepti sunt, quo primus consul ex plebe creatus. *Liui.* l. VII. c. 2.

§. 2. Erat *comædia* vel *vetus*, vel *noua*: sic apud Græcos Romanosque distincta. *Illa* erat licentior, dicacior impudentiorque: *hæc* modestiæ plus præ se ferebat. Vide de hac distinctione *Cic. de off.* l. I. c. 29. *et Horat.* l. I. *sat.* 4. v. 2. Quamuis autem hæc modestior elegantiorque esset: tamen etiam postea ex veteri aliquid admixtum fuit; præsertim in atellanis, quas vocabant, *comædiis*, quod dixerunt *exodium*. *Liui.* l. VII. c. 2. *Sueton.* *in Tib.* c. 45. *Cal.* c. 27. *et Ner.* c. 39.

§. 3. Locus erat theatrum, distinctum forma ab amphitheatro. Plura autem theatra erant,  
ab

ab auctoribus nominatim distincta: vt Marcelli, apud Suet. *in August. c. 29*; Pompeii, *ibidem c. 31*; Scauri, apud Plinium *l. xxxvi. c. 15*; Curionis apud Cic. *l. viii. ep. 2. n. 4.*

§. 4. Multa vanitas in theatris fuit, vt Cicero etiam *l. vii. ep. 1* ostendit: multa impietas, ob quam comœdiæ priscis Christianis detestatæ sunt. Tertullianus *de spectaculis c. 10*: *Theatrum, inquit, proprie sacrarium Veneris est.* Adde Minuc. Fel. *c. 36* et Lactant. *l. vi. c. 20. n. 27. seq.*

§. 5. *Tragœdia* a comœdiis argumento et stilo distinguuntur. *Comœdia* personas habent vulgares: dicendi genus humile, quod conueniat plebeiis. Soccis etiam utebantur, vt agiliores essent. Hor. *de arte poet. v. 80.* *Tragœdiarum* autem argumentum triste est: quia regum et principum casus funestos proponunt; et quidem stilo grandi atque sublimi, vt magnates loqui decet. Cothurnis etiam personæ agebant, vt maiores et quasi ex heroum sæculo apparent. Iuuenal. *sat. 15. v. 29.*

#### SECTIO IV

### DE LVDIS GLADIATORIIIS.

#### §. I.

**O**Mnium nobilissimi ludi erant, quibus gladiatorum paria multa in amphitheatro (olim etiam in foro et vicis) edebantur. Hoc ludorum genere maxime populus romanus delectabatur, ita constanter per sæcula seruato,



uato, vt agre christianis temporibus aboleri potuerit.

§. 2. Erant autem *gladiatores* vilissimi homines vel ex captiuis ad hoc studium allekti: vel, si ex ingenuis essent, propter perditos mores et decoctam rem familiarem compulsi se lanistæ vendiderunt. *Lanista* autem erant, qui docebant in arte gladiatoria: ipsique rursus magistratibus iam exercitatos gladiatores vendebant, vt in publicis ludis centum aut ducenta paria ad pugnandum sisterentur. Sen. *de benef.* l. VI. c. 12.

§. 3. Locus, vbi docebantur, *ludus* dictus singulari numero: *ludi* autem plurali sunt ipsa spectacula. Cic. *cat.* II. c. 5. Locus, vbi pugnabant, vel forum vel vicus olim erat: quum in funeribus tantum gladiatores exhiberentur. Liu. *epit.* 16. Postea hi ludi in amphitheatro sunt editi: circumcirca gradatim sedentibus, qui spectabant. Suet. *in Tib.* c. 7. Medius locus *cauea* dictus: etiam *arena*, quia arenis congestus erat. Virg. *Aen.* l. v. v. 340. et Tac. *hist.* l. II. c. 62. n. 4.

§. 4. Ante meridiem armis lusoriis, id est, ligneis pugnabant: post meridiem decretoriis, id est, acutissimis et ad letalia vulnera paratis. Cic. *de orat.* c. 78 et 80. Quando sic paria componebantur, non ante spes liberationis erat, quam aduersario interfecto: sed ne tunc quidem semper missio secuta est, sed victor interdum cum alio recente componebatur. Lact. l. vi. c. 20. n. 12. Signa erant *pollicem premere*, aut *conuertere*. Pressus populi pollex signum gratiæ erat et liberatio-



rationis: conuersio pollicis signum, quo populus cadentem interfici iubebat. Plin. l. xxviii. c. 2. Iuuen. sat. 3. v. 36. et Prud. in Symm. l. ii. v. 1098.

§. 5. Varia genera erant gladiatorum pro armorum diuerſitate. Quidam dicebantur *thraeces*: alii *mirmillones*: alii *laquearii*, qui cum *secutoribus* componebantur: alii *hoplomachi*. De quibus omnibus præclare et copioſe ſcripſit Liſſius in *ſaturnalibus*.

§. 6. Mirandum ſane eſt, tam ſæuum et crudellem morem tam impenſe a cultiſſimo Romano populo amatū fuiſſe et in ſummis habitum deliciis. Cicero quidem *tuſc. qu. l. ii. c. 17* excuſat: quod tali ſpectaculo iuuentus ad fortitudinem bellicam animetur: præfertim ſi noxii et perditii, aut damnati etiam adhiberentur. Verū hæc non ſufficiunt ad moris crudelitatem mitigandam: quum impium et inhumanum ſit etiam iuſta ſupplicia de fontibus ſumere oblectationis cauſa; et, ſi fortitudo virtus eſt, vti eſt, non ex malis et vitiis nutrimentum ſuum habere debeat.

§. 7. Præmium gladiatorum, qui aliquot congreſſionibus bene pugnauerant, *rudis* erat ſeu *virgula*: quæ ſignum liberationis erat ex ludo gladiatorio. Hinc dicebantur *rude donati* apud Horat. l. i. ep. i. v. 2. et Ouid. l. ii. am. eleg. 9. v. 22. Qualis autem illa et cuius arboris virgula fuerit, non ſatis expreſſum eſt. Cic. pro Roſc. amer. c. 6 palmæ facit mentionem. *Plurimarum*, inquit, *palmarum vetus ac nobilis gladiator*.

§. 8. Mille ſunt translationes et loquendi formulæ



mula apud Latinos ex ludis petita gladiatoriiis: vt sunt, *petitiones obiectas vitare, declinatione corporis effugere*, apud Cic. *cat. 1. c. 6.* Vt autem pere-  
re gladiatorium verbum erat: sic etiam *repetere*, hoc est ictum geminare apud Lactant. *l. vi. c. 20. n. 12.* Vnde in caede Caligulae signum erat et tessera: *repete.* Suet. *in Calig. c. 58.* Adde Cic. *tusc. qu. l. ii. c. 17.* et *pro Sexto c. 37:* vbi occurrit *ferrum recipere.* Tales formulae etiam erant, *hoc habet*, aut simpliciter *habet:* item *loco motus est:* item *componere paria.* Vide, quae ad Prudent. *psych. v. 53* notauimus, et ad Cic. *l. ii. ep. 8. n. 1.*

§. 9. Tam inueteratus hic mos tam in vrbe, quam in prouinciis fuit, vt aegre a christianis etiam imperatoribus tolli potuerit. Vide Prud. *in Symm. l. ii. v. 113. seq.*

## SECTIO V

## DE VENATIONIBVS.

## §. I.

VEnationes erant etiam ludorum genus: non in siluis, sed in vrbe exercitae. Vndique conquirebantur belluae ex Africa et Asia, et spectante populo conficiebantur. Cic. *l. ii. ep. 11. n. 3.* et *l. viii. ep. 2. n. 14, ep. 9. n. 7.* et Suet. *Calig. c. 18.*

§. 2. Damnatos etiam in ludis huius generis obiciebant belluis, qui *bestiarii* inde dicti. Cic. *in Vat. c. 17.* Sen. *de benefic. l. ii. c. 19.* Addita nonnumquam his venabula sunt: vt, si possent,

H

1e

se a faucibus belluæ defenderent; illaque interfecta a reatu absoluerentur. Hunc ludum bestiariorum Seneca vocat *ep. 70.*

## SECTIO VI

## DE NAVMACHIA.

**N**Auigationes etiam ludicræ: quæ in speciem belli, non in mari; sed in vrbe aut iuxta illam in effosso lacu edebantur. De his sæpe Suetonius: vt *in Cas. c. 39 et 44*, vbi edidisse naumachiæ spectaculum dicitur. Et *de Augusto c. 43*: *Nauale*, inquit, *prælium circa Tiberim cauato solo edidit.* Et *de Domit. c. 4*: *Edidit nauales pugnas pene iustarum clasium, effosso et circumstructo circa Tiberim lacu.*

## CAPVT XII

## DE

## VESTITV ROMANORVM

eiusque

## SECTIO I

## DE

## VESTIBVS VIRORVM

## §. I.

**I**N vestibis Romanorum præcipua et quasi propria erat eaque exterior, quæ *roga* vocababatur:



batur: vnde Romani absolute *togati* dicti apud Liui. l. III. c. 52. Sen. *de beata vita* c. 24; et *gens togata* apud Virg. *Aen.* l. II. v. 286. Scholiastes *Perfii ad sat.* 5. v. 14 ita describit: *Toga est purum patium, forma rotunda et fusiore; atque inundante sinu, de subdextro veniens, supra humerum sinistrum ponitur.*

§. 2. Varius togæ vsus habitusque. Bra-  
chium vtrumque tegebat: dextrum vero ex-  
ferebatur, vbi opus fuit, viris maxime; non  
primo togæ anno, quo per modestiam non  
licebat, vt ex Cic. *pro Calio* c. 5 constat. Sinum  
ex toga faciebant. Vnde Tibullus l. I. *eleg.* 7.  
v. 46:

*Effluit effuso cui toga laxa sinu.*

Vtebantur autem toga romani ciues, quum in  
publicum prodirent, pacis tempore: quemad-  
modum sago, quum bellum esset aut tumultus;  
vti post dicemus.

§. 3. Ad togam etiam pertinet *cinctus gabi-  
nus*. De quo Seruius *ad Aen.* l. VII. v. 612: *Er at,*  
*inquit, toga sic in tergum reiecta, vt vna eius laci-*  
*nia reuocata hominem cingat.*

§. 4. Materia togæ erat lana pura, sine co-  
lore adsciticio: ideo sæpius erat propter ad-  
spersas sordes lauanda a fullonibus, præsertim  
si munditiei quis studiosus esset. Candidato-  
rum autem *toga cretata* fuit, vt a ceteris digno-  
scerentur: vnde *cretata ambitio* apud Persium  
*sat.* v. v. 176. A creta fiebat toga splendidior.  
Inde dicta *toga candida*: vnde Ciceronis ora-

tio in toga candida apud Alconium, quia candidatus eum habuerat.

§. 5. Ciuis romani signum erat toga, qua post exactam demum pueritiam utebantur. Hinc formulæ sunt: *togam virilem sumere, officio togæ virilis interesse*, apud Plin. *l. 1. ep. 9. n. 2. l. x. ep. 117. n. 1.* Pueri autem erant *prætextati*, hoc est, veste prætexta induti: antequam a prætore sollemni ritu togam acciperent et ciues scriberentur.

§. 6. Togarum differentia ratione dignitatis hominum erat. De vulgari iam diximus, Magistratum et sacerdotum *toga purpura prætexta* erat: senatorum itidem et equitum togis aliquid additum, quod *latum* vel *angustum clauum* vocabant. Liu. *l. xxxiv. c. 7.* Suet. in *Claudio c. 24.* et Lamprid. in *Alex. Seuero c. 27.*

§. 7. Præterea memorantur *togæ pictæ* et *palmata*: triumphales vestes, quæ regibus etiam dono mittebantur. *Pictæ* erant acu pictæ: *palmata*, quibus palmæ, victoriæ signa, erant intextæ. Vide Liu. *l. xxx. c. 15.* et *l. xxxi. c. 11:* ubi tunica palmata eadem dicitur, quæ toga picta. Adde Aufonii *pan. c. 22. n. 2:* et quæ ibi notauimus.

§. 8. *Trabea* erat cultus splendidior, instar prætextæ. Virg. *Aen. l. 11. v. 612.* Fuit autem ciuilibus habitus, non militaris: vnde male nonnulli cum paludamento confundunt, quos confutat Octavianus Ferrarius *de re vestiaria.* Vid. etiam *Dion. Hal. l. 11. p. 129.*



§. 9. *Lana* peregrina vestis fuit : etiam a Romanis recepta. Virg. *Aen. l. IV. v. 262* :

-- *tyrioque ardebat murice lana demissa ex humeris.*

In sacris etiam adhibitam lanam testatur Cicero de *cl. orat. c. 14.* Consul, inquit, *sacrificium publicum cum lana faciebat : quia erat flamen simul carmentalis.*

§. 10. *Synthesis* erat vestis senatoria, maxime in saturnalibus. Martialis eius meminit *l. XIV. ep. 1. v. 1.*

§. 11. *Lacerna* proprie erat vestis militaris, quod ex Ouid. *fast. l. II. 746* apparet. Cicero nis ætate nondum in vrbe gestata, quod Cicero Antonio obiicit *phil. II. c. 30* : post adsumpta pluiarum causa, vt Plinius docet *l. XVII. c. 25* ; et in alios vsus. Vide Martialem *l. XIV. ep. 137. v. 2.*

§. 12. *Panula* itinerarium vestimentum erat, quemadmodum ex Ciceronis *orat. pro Milone c. 10* apparet. Sero in urbem inducta, quod Iuuenalis *sat. v. v. 79* probat.

§. 13. *Tunica* pressa vestis erat et corpori adstricta, etiam interior sub toga : quamquam ipsa quoque distinguebatur pro multiplicatione sui in interiorem et exteriorem. Vide Suet. in *Aug. c. 72.* Val. Max. *l. VII. c. 4. n. 5.* Huic maxime addebatur, quod de lato clauo et angusto supra diximus. His enim ordines Romanorum distinguebantur : senatores ab equitibus, equites a plebeiis. De quibus supra in *ordinibus c. VII. sect. 1. §. 7. p. 85.*

H 3

§. 14.

§. 14. Vestis militaris erat *sagum* vel *fagulum*, quia breuius erat agilitatis causa. Vtebantur hoc non tantum in bello et castris: sed in vrbe etiam, quum metus aut tumultus esset. Hinc *sagari* dicti apud Cic. *phil. xiv. c. 1.*

§. 15. *Paludamentum* erat ducis vestis exterior: vnde *paludatus exire* dux seu imperator dicebatur. Vide Cic. *l. xv. p. 17. n. 5.* et Flor. *l. iv. c. 2. n. 59.*

## SECTIO II

# DE VESTIBVS MVLIERVM.

### §. I.

Vestis mulierum præcipua et propria erat stola et palla. *Stola* ad talos vsque siue plantas demittebatur, multis rugis ac plicis constricta. Hor. *l. 1. sat. 2. v. 99.* et Mart. *l. III. epigr. 93. v. 4.*

§. 2. *Palla* superior mulierum vestis dicebatur, stolæ superaddita et itidem in talos dependens: vnde etiam *longa* Virgilio vocatur, *Aen. l. xi. v. 576.* Vide ibidem Seruium. A palla differt *pallium*, quod virorum erat in Græcia et philosophorum.

CAPVT



CAPVT XIII  
DE  
FVNERIBVS ROMA-  
NORVM

eiusque

## SECTIO I

DE

## EXSEQUIIS.

§. I.

**D**Eductio funeris ex funesta domo ad locum sepulturæ certis ritibus fiebat: quorum præcipuos Cicero indicat *pro Milone c. 32* et quos nunc breuibus explicare animus est; si hoc prius præmonuerimus, non de quouis nobis, sed sollempniore exsequiarum ritu sermonem esse.

§. 2. Igitur facta *conclamatione* et peractis reliquis, quæ in tali luctu iusta existimabantur, procedebat funus ita, vt *imagines* maiorum præferrentur *cantusque* et *nenie* præficarum audirentur. Vide Seru. *ad Virg. Aen. l. iv. v. 218.* Plin. *l. xxxv. c. 2.* Hor. *epod. 8. v. 11.* Suet. *in Caf. c. 84.* Aug. *c. 100.* Lucan. *l. viii. v. 734.* Cic. *de leg. l. 11. c. 24.* et Festum *in præficiis.*

§. 3. Tum *laudatio funebris* pro rostris a proximo agnatorum vel, si deesset ex his, qui tale officium præstare defuncto posset, a claris-

H 4

mo

mo aliquo ac doctissimo viro habebatur: ea-  
que finita promotum inde funus extra vr-  
bem in eum deducebant locum, vbi vel hu-  
mandum erat vel igne comburendum. Suet.  
*in Caf. c. 6. Tib. c. 6. et Plin. l. II. ep. 1. n. 6. et Cic. de  
leg. l. II. c. 23.*

## SECTIO II DE COMBVSTIONE.

### §. I.

**R**Omani vt plurimum cremabant mortuos.  
Paucæ enim gentes aut familiæ erant,  
quibus concedebatur defossio integri  
corporis: vt gens cornelia, ex qua Sulla, ius  
talionis veritus, quod C. Marii cadaver erue-  
rat, testamento contra consuetudinem gentis  
cremari se iussit. Cic. *de leg. l. II. c. 22. et Plin.  
l. VII. c. 54.*

§. 2. Ritus combustionis erat, vt rogos ex-  
strueretur, cui defuncti corpus in lecto impo-  
nebant cum aromatum odoribus aliisque pre-  
tiosis, quæ defuncto cara fuerant. Tum post  
factam conclamationem postremam aliquis a-  
gnatorum face rogam accendebat. Seruius *ad  
Virg. Aen. l. VI. v. 218. seq. Sueton. in Caf. c. 84. seq.  
et Plin. l. IV. ep. 2. n. 3. et l. V. ep. 16. n. 7.*

## SECTIO III DE SEPVLTVRA.

### §. I.

**C**ombustione peracta, quæ reliqua erant, id  
est, cineres et ossa, fictili urnæ indita in se-  
pul-



pulcro vel monumento condebantur. Suet. in Aug. c. 100. Dio l. LXXVII. p. 868. et Eutrop. l. VIII. c. 2. n. 17.

§. 2. Sepulcra ut plurimum ad vias erant, ut viatores etiam titulum legerent memoriamque defuncti conseruarent. Nam cippos erigebant seu marmora, quibus nomen et honores defuncti cum nomine eius, qui posuerat, inscripserant. Vide Nep. de Artico c. 22. n. 4, qui iuxta viam appiam ad quintum lapidem sepultus fuit: et adde Hor. l. I. sat. 8. v. 12. Alia exempla Ioannes Kirchmannus, qui fuse de funeribus Romanorum scripsit, l. II. c. 22. adfert: ut de via aurelia, flaminia, laucana, laurentina, ostiensi, prænestina, salaria, tiburtina.

§. 3. *Aream* quoque sepulcrorum fuisse, certa pedum mensura descriptam et consecratam, ex Cic. phil. 9. c. 7. discimus. Coronas etiam et *sera* iisdem adhibebant ornatus gratia: quod præfici christiani auersabantur, posteriores autem admittebant. Vid. Minuc. Fel. c. 12. n. 6: et quæ nos ibi ex Prud. cath. hymno X. extremo adnotauimus.

SECTIO IV

DE RITIBVS QVIBVSDAM  
POST SEPULTVRAM.

§. 1.

**R**itus præcipui sepulturam subsequentes fuerunt inferiæ, epulæ et ludi funebres. In-

H 5

feriæ

*feria*, vt Festus definit, erant sacrificia, quæ diis manibus non tantum exsequiarum die inferebant: sed anniuersariis etiam sacris ad sepulcrum repetebant. De his iam supra egimus *c. 1. sect. IV. n. VIII. p. 24.*

§. 2. Epulæ populo romano datæ publice in memoriam et honorem defunctorum: et interdum carnes etiam distributæ, quæ *visceratio* dicebatur. Vid. Suet. *in Cas. c. 26.* et Liu. *l. xxxix. c. 46.*

§. 3. *Ludi funebres* ob eandem causam editi: præsertim gladiatorii; de quibus *c. xi. sect. IV* exposuimus. Vide Liu. *epit. 16.* Val. Max. *l. II. c. 4. n. 7:* et quæ nos ad Cic. *l. II. ep. 3. n. 1* notauimus.

## SECTIO V DE CONSECRATIONE PRINCIPVM.

§. 1.  
**R**omani imperatores bene de republica meriti post mortem in numerum deorum certis ritibus relati atque *diui* appellati sunt. Exempla passim apud historicos latinos occurrunt. Sic Eutrop. *l. VII. c. 5. n. 15* de Augusto: *Moriens, inquit, diuus appellatus est.* Et *c. 8. n. 6* de Claudio: *Post mortem consecratus est diuusque appellatus.* Et *c. 13. n. 9* de Vespasiano; *c. 14. n. 11* de filio; *l. VIII. c. 1. n. 4* de Nerua; et *c. 2. n. 17* de Traiano: *Inter diuos relatus est.* Idcirco

tem-



templa eis exstructa: naminesque constituti, quorum passim mentio in inscriptionibus.

§. 2. Non vero semper id ex vera deuotione factum: sed aliis de causis politicis, quas detexit Plinius *pan. c. 11. n. 1 et 2*, Neruæ consecrationem a Traiano factam inde separans. *Quem tu, inquit, lacrimis primum, ita ut filium decuit, mox templis honestasti: non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. Dicauit celo Tiberius Augustum, sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed ille ut dei filius, hic ut frater videretur. Tu fideribus patrem intulisti: non ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum; sed quia deum credis.*

§. 3. Ritus consecrandi accurate Herodianus descripsit *l. iv. c. 2. n. 2*. Cercam imaginem consecrandi principis in vestibulo palatii lecto eburno ac vestibus aureis instrato impositam, quasi agrotaret, per septem dies omnium conspectui paruisse. Deinde ubi iam visus diem obiisse: lectum nobilissimos viros tulisse in forum, hymnos cantantibus pueris et feminis nobilissimis. Quibus peractis tulisse lectum extra urbem in campum martium et rogo imposuisse singulari ratione constructo: factisque circa illum ludis equestribus facem illatam esse a successore principe. Mox ex cellula rogi (nam in partes distinctus erat) aquilam emissam esse, quæ vulgo crederetur animam principis in celum deferre. Ex eo tempore defunctum pro deo habitum: cultumque fuisse templis, puluinaribus, flaminibus.

§. 4. Nec tantum ipsi imperatores sic honora-



norati fuerunt: verum etiam augustæ feminae, vxores, matres, sorores principum. Cuius rei exempla multa in nummis antiquis prostant cum inscriptione CONSECratio, et appellatione DIVI vel DIVAE: apposita est templi figura aut aquilæ, aut in feminarum consecratione pavonis.

§. 5. Consuetudo hæc ita inualuit, vt vix sub imperatoribus christianis primis abrogari posset: quamvis illi maxime abhorrent. Putabatur enim pars maiestatis esse et honoris, qui principibus deberetur. Sic et Eutropius de Iouiano, Christi sacris addictissimo principe, l. x. c. 9. n. 11 dicit: *Benignitate principum, qui ei successerunt, inter diuos relatus est.* Quod an ita factum fuerit a Valentiniano et Valente, non leuis causa est, cur dubitemus. Cautius idem historicus l. x. c. 4. n. 13 de Constantino dixit: *Inter diuos meruit referri.*

## CAPVT XIV

DE

RE NVMMARIA ET  
INSCRIPTIONIBVS ROMA-

NORVM

eiusque

SECTIO I

## DE NVMMIS.

I. DE VARIIS NVMMORVM GENERIBVS.

§. I. **R** Adix nummarie rei est cognitio ASSIS:  
exi-



exigua moneta, quæ vix integros tres nummos. (Pfennige, vt nos vocamus) valebat; et in duodecim partes siue vncias tam in nummis, quam ponderibus diuidebatur.

§. 2. Ex asse compositus est SESTERTIVS: quasi sesquiertius, id est, asses duo et dimidius. SESTERTIVM autem neutro genere erant mille sestertii. Atque his maximas summas per tonnas et milliones numerandas describunt, maxime si adverbialiter loquuntur: nam alia ratio est, si per nomina numeralia id efferunt. Sestertios etiam nummos sæpe vocant absolute.

§. 3. Quatuor sestertii faciunt DENARIVM, id est, denos asses: qui si argenteus est, *drachmam* pondere valet. Sæpe denarii mentio est: etiam in facris, vbi dicitur diurna merces fuisse operarii. Nonnumquam denarii plus, quam decem asses valuerunt, quod non obscure colligitur ex Tacit. *annal. l. i. c. 17*: vbi milites *n. 4* queruntur, quod singuli *denis in diem asibus animam et corpus æstiment*; postea *n. 6.* addit, *vt singulis diebus denarium impetrarent.*

§. 4. SOLIDVS est noua moneta, posteriori sæculo in vsu: ita dictus, quod ex solo auro constaret, intus nihil haberet vilioris metalli. Non enim argenteus dabatur solidus, sed aureus fuit tantummodo: vt copiose Gronouius probauit *de sestertiis*. In legibus romanis eius mentio crebra, sed posterioribus. Vlpianus *l. i. §. Hoc autem ff. de fugitiuis*: *Multa, inquit, centum solidorum statuta in magistratus.* Et Macer de Seuero  
et

et Antonino Caracalla *l. c. 34. ff. de iure fisci: Quingentos solidos fisco inferre iussus es.*

§. 5. De valore solidi non vna est sententia: nec ferri facile vna potest pro diuersitate temporum. Aliquando et plerumque solidus et aureus idem erant, vt Briffonius *de verborum significatione* probauit: aliquando et differentia intercescit; vt solidus maior esset, quam aureus. Nec AVREVS, quod nomen antiquius est, quam solidi, semper idem valuit: sed pro arbitrio imperantium comparatio inter aurum et argentum, nunc hoc vel illo modo, constituta fuit. Olim, vt Gronouius *p. 365* probat, xvii denarii faciebant aureum. Dio Casius *l. lv. p. 555* xxv denarios requirit ad aureum. Tempore Arcadii et Honorii, vt est *l. vn. cod. de collatione æris*, constitutum est, vt pro viginti libris æris vnus auri solidus reddatur. Calaubonus *ad Lampridii Alexandrum c. 39* dicit, solidum pondere duas drachmas æquasse: et ibidem satis luculente probat. Quod si est: duplo maior erit solidus, quam illo tempore, de quo Gronouius loquebatur.

§. 6. Quod posteriores vero *per solidos* numerabant: veteres fecerunt *per sestertios* aut *sestertia*, iisque maximas etiam summas exprimebant. Id vero diuerso modo fiebat, in numerali voce obseruato. Si enim numerale forma nominis dicendum erat, addebantur *sestertia* plurali numero: aut si millia adderentur, genitiuo *sestertium*; aut, quod vltimius erat, *nummum*. Nummus



mus enim et sestertius saepe idem sunt. Hinc Plinius l. xxxiii. c. 2 ad equestrem dignitatem requirit censum *sestertia quadringenta*, id est, 12000 thaleros graues. Iunior autem Plinius l. 1. ep. 19. n. 2 municipi et condiscipulo, decurioni comensi et propter id officium non minus quam *centum millia* possidenti, offert ad implendas equestres facultates *trecenta millia nummum*, hoc est, trecenta sestertia.

§. 7. Alia ratio est numerandi per aduerbia numeralia, *quingies*, *decies*, *vicies*, *quadrages*, cetera. Tum enim, si sestertia in neutro, vsurpantur cum aduerbio, centenarius numerus subaudiendus est: ita, vt *decies sestertium*, recto et nominatiuo casu singularique numero, sint 25000 thaleri; *quadrages sestertium*, tonna auri, vt vocant; *sexages sestertium*, tonna cum dimidia; *centies sestertium*, duæ tonnæ cum dimidia; *quadringenties sestertium*, decem tonnæ siue millio; *millies sestertium*, 25 tonnæ siue milliones duæ et dimidia.

§. 8. LIBRAE nomen etiam occurrit et PONDO. Pondo et *libra* idem: si vero iunguntur, aut pondo alii monetæ adiicitur; tum vertenda vox ant *Werth und Gewicht*. De quibus plura tradit Gonouius d. l. *Libra* autem *argenti* eodem interprete sunt centum denarii seu quadringenti sestertii. *Libra* autem *arisi* fere est sestertius.

§. 9. Peregrini nummi, romanis scriptoribus etiam, quando de rebus Græcorum agunt, nominati, sunt potissimum DRACHMA ET TALENTUM.

*Drach.*

*Drachmam* diximus octauam partem thaleri esse seu denarium, (*ein Quäntchen*): hinc fit *didrachmum*, id est, duæ drachmæ, quadrans thaleri; cuius in sacris etiam habetur mentio apud Matthæum c. 17. v. 24. *Talentum* autem diuersum erat: quod autem potissimum in auctoribus respicitur, est *talentum atticum*, quod constabat, sexaginta libris argenti siue 750 thaleris. Vide, quæ ad Curtii l. VII. c. §. n. 27 notauimus.

§. 10. Hactenus de valore numismatum et variis nominibus, etiam de supputandi ratione: sequuntur nunc ipsi antiqui nummi variæ ætatis, secundum materiam, formam, figuram, inscriptiones et alia signa considerandi.

§. 11. PECVNIAM dicunt a *pecude* nomen habere: quod olim fuerint boues, oues, porci et similia animalia impressa. Quædam gentes etiam postea suis nummis figuram animalium inscripserunt: equum, hircum, ouem; vt de auibus taceamus.

§. 12. MATERIA nummorum veterum vel *aureum* est, vel *argentum*, vel *mixtum* quoddam *metallum*. *Aurei* nummi rariores sunt: nec etiam tanti, nisi quod materia pretiosa sit, æstimantur, quam ceteri; quia id genus facile falsari potest, et alienum arte et fraude supponi. *Argenteorum* magna superest copia: sed et hic sæpe falsi pro veris supponuntur. *Aenei* nummi propter æris singularem mixturam, etiam quod plurimis addita ferrisatio, vt vocant, quam itidem imitari

NON



non possumus, ad antiquum modum, plurimi sunt veri et genuini.

§. 13. FORMA diuiditur in *tres modulos: maximum, medium et minimum*. Nec vero tam accurate id ubique seruatur, nec semper eiusdem magnitudinis modulus vnus est: et ipsa maximi moduli numismata inter se differunt magnitudine, quod ad oculum demonstrari potest *Iosephi Monterchii libello de maximi moduli numismatibus* Amst. 1685, 12. Sic etiam est in ceteris modulis, qui itidem inter se differunt et variant ratione magnitudinis et paruitatis.

§. 14. Ratione TEMPORIS diuiduntur in *consulares nummos, hoc est, in libera republica sub consulibus cufos: et in nummos factos sub Cæsaribus*.

§. 15. A FIGVRA impressa etiam varie denominati sunt, præsertim consulares, vt *victoriati, bigati, quadrigati, ratiti*: a signo victoriæ, quod continebant; vel *bigarum, quadrigarum, ratis* siue nauis.

§. 16. Ratione LOCI etiam numismata distincta fuerunt; quia plurima cufa fuerunt in prouinciis a ciuitatibus, quibus id concessum fuerat a Romanis: quemadmodum integri libri de talibus nummis prostant; vt *Harduini de nummis populorum et urbium; Vaillantii de nummis coloniarum secundum Cæsarum seriem*.

## II. DE COGNITIONIS NUMMARIÆ VSV.

## §. I.

Vsus veterum numismatum est in historia supplenda; in chronologia corrigenda; in orthographia ad certas rationes reuocanda; in antiquitatibus variis, sacrificiorum, triumphorum, consecrationis, structuræ templorum, formæ nauium, vestimentorum et similibus rerum: quod demonstratum est vberime ab illustri viro Ezechiele Spanhemio singulari libro *de usu et præstantia numismatum*.

§. 2. Vtilitati addenda etiam est iucunditas: si selectos nummos perlustramus; et inde oculis subiicimus varias res, quas animus ex historia vel descriptione non satis poterat capere.

